CORONA ANNI CHRISTIANI

Sive

MEDITATIONES

PRÆCIPUARUM ET MAJO-
ris momenti veritatum Evan-
gelii Domini noſtri

JESU CHRISTI

In Singulos Anni dies juxta Officii
Eccleſiaſtici Ordinem diſtributæ.

Per M. LUDOVICUM ABELLY
Epiſcopum Ruthenenſem.

Ex idiomate Gallico ſepties im-
preſſo in Latinum translatæ
à
R.P. JOANNE RISSE Soc. JESU.

PARS PRIMA.

A prima Dominica Adventûs uſ-
que ad diem Mercurii Cinerum.

Aucta per Authorem multis medi-
tationibus pro ſpirituali ſeceſſu ſer-
vientibus.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus JOAN. WILH. HUISCH, Bibliopol.
am Hoff/ Anno M D CC. XXXII.
Cum Privilegio Sac. Caſ. Majeſt.

32-5-D-27

Facultas

R. P. Provincialis Societat. J. Germaniæ Superioris.

EGo infraſcriptus Societatis Jeſu per Próvinciam Rheni Superioris Præpoſitus Provincialis poteſtate factâ ab Admodum Reverendo Patre noſtro Franciſco Retz Societatis noſtræ Præpoſito Generali, Domino JOANNI WILHELMO HUISCH, Bibliopolæ Colonienſi facultatem concedo ad decennium imprimendi *M. LUDOVICI ABELLY Epiſcopi Ruthenenſis Coronam Anni Chriſtiani, ſive Meditationes præcipuarum veritatum Evangelii D. N. IEsu Chriſti in ſingulos anni dies juxta officii Eccleſiaſtici Ordinem diſtributas, ex Lingua Gallica in Latinam translatas à R. P. IOANNE RISSE è Soc. IEſu*; eidemq; jus Cæſ. Privilegii uſurpandi eatenùs indulgeo, ut Librum hunc nemo alius intra decennium recudere, nemo intra S. R. I. fines, & hæreditarias Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Provincias importare, aut venùm exponere audeat, in cujus rei fidem literas has manu propriâ ſubſcriptas, & officii mei ſigillo munitas dedi Moguntiæ 18. Jul. 1731.

JOANNES HARTUNG S. J. m. Pp.

Approbatio Doctorum.

NOs ſubſcripti Doctores ſacræ facultatis Theologicæ in Univerſitate Pariſienſi, teſtamur nos legiſſe atque diligenter examinâſſe librum, cui titulus, *Corona Anni Chriſtiani, ſive Meditationes præcipuarum & magis utilium veritatum Evangelii JESU CHRISTI*, *Compoſitum per M. LUD. ABELLY*, in quo doctrinam verè Catholicam conjunctam cum magna pietate invenimus. Unde poteſt in lucem magno cum fructu ac utilitate eorum produci, qui iis ſeſe devotionum exercitiis applicant, quæ in hoc libro continentur. Ita judicavimus, & ſubſcripſimus 4. Nov. 1656.

C. Patu Doctor Societatis Sorbonnicæ, & Paſtor S. Martialis.

N. Blond.

San-

Sanctiſſimæ Virgini Mariæ Matri Dei.

POſtquam Angelos & Sanctos ſuo eſt favore dignatus Filius tuus Divinus, ô ſanctiſſima & beatiſſima Virgo ac Mater, obſtrictos ſeſe putavêre, ut in agnitionem, ſe gloriam, quam poſſident eidem debere, poſitis ſine mora ad pedes coronis ſupremum agnoſcerent Dominum. Permitte Tu mihi, ut tibi coronam in terra myſticam deferam, quæ ſingulari tibi titulo debetur, nec quidquam eidem deeſt, ut grata tibi imprimis acceptaque reddatur, niſi digna manus, quæ præſentent. Non eſt hæc corona confecta vel ex auro, vel gemmis, vel lapidibus pretioſis, vel ex hujusmodi rebus hujus mundi inferioris: compoſita eſt ex pulcherrimis veritatibus, quas IESUS CHRISTUS in ſuo Evangelio ceu totidem aſtra reliquit, ut in hac vita hujus nocte nos illuminaret. Et quanquam fideles ad Divini hujus luminis favorem ſibi comparandum ſint invitati, non obeſt tamen his te ſtellis eſſe coronatam. Unum hoc eſt privilegiorum

tuorum perfectius creaturis omnibus ſenſum magnorum harum veritatum te penetraſſe, quas teſte Evangelio, ceu maximi rē pretii conſervâſti; & contuliſti in corde tuo, Luc. 2. v. 9. *methodo longè ſubtiliſſimâ perfectiſſimaque, omneſque actiones tuas ſecundùm eaſdem direxiſti. Verùm cum tuus in fideles amor plus quàm maternus animitùs exoptet, ut ſe ſe ad conſiderandas has Evangelicas veritates applicent, atque ut imitatio tui in cordibus eorum illas per meditationem conſervet, ſpero te parvo huic operi benedictionem haud negaturam, quod eo fine expedivi, ut ſancta hæc exercitia facilitem, atque ita ad meditandum, guſtandum & libandum verba vitæ æternæ invitem,* Iſaiæ 63 v. 3. *adeò ut juxta votum Sancti illius Patriarchæ, volumen illa continens poſſit eſſe inſtar diadematis & coronæ, totaque ſit gloria ſequi Chriſtum, vivere ſecùndum ipſius principia, doctrinam, & illius exempla pro ſola vitæ morumque regula acceptare; ut hæc corona veritatis mutetur illis in diem coronæ gloriæ, vel potiùs juxta Prophetæ verba fiat illis* Corona gloriæ in manu Domini Iſa. 62. v. 3. *& diadema beatitudinis, in gaudio æternæ felicitatis.*

Ad

Ad Chariſsimos Fratres meos NOVITIOS SOC. JESV. Moguntiæ.

CUm Pariſiis negotii causâ morarer Amantiſſimi Fratres mei, ageremque familiàriter cum R. P. Frey Sereniſſimæ Delphinæ Confeſſario, comperi inter libros, quos in conclavi ſervabat, Meditationes Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi Domini Ludovici Abelly Ruthenenſis Epiſcopi, Gallico idiomate conſcriptas. Ego non gnarus idiomatis, nihilominus eas cum Patris facultate mecum abſtuli, & ex vicinitate Latinæ Linguæ poſtquam omnino eximias eſſe collegi, mihimet pretio comparavi. Uſu autem ipſo didici omnem complecti has Meditationes perfectionem, non ſolùm Chriſtianis, ſed etiam Religioſis & quidem noſtræ Societatis admodum conformem. Jure dolebam ſepties illas in Gallia editas, in Germania pro captu nunquam. Quapropter difficili ſtudio auxilio Dictionarii Regii eas in Latinum tranſtuli. Senſum paſſim utcunque perfectum invenietis, verùm an Authoris menti reſpondentem? equidem illud polliceri haud auſim. Unde nec luce publicâ laborem hunc meum dignũ cenſeo, ſed vos fraternè obteſtor, ut vel angulum in quotidiana veſtri Noviciatûs Bibliotheca concedatis. Meditationum themata, alioſ-

que

que Sacræ Scripturæ textus præteritâ Authoris vel phraſi vel paraphraſi,ex Bibliis,capitibus,verſibuſque notatis, deſcripſi. Contrà, cum libros Sanctorum Patrum adductorum non ſoleat citare Epiſcopus , quæ non potui verba,eorum ſenſum produxi.Quod ſi Coronam hanc luſtrare ſubinde placuerit , atque mentis oculis in meditationibus mediæ ſaltem horæ promeridianis ſtudioſè conſiderare,pretioſas (mihi credite) perfectionis gemmas vos inveniſſe lætabimini. Ita vobis animitùs opto,meique in veſtris pietatis exercitiis memoriam demiſſiſſimè efflagito.

Veſtrarum Charitatum Servus
in Chriſto minimus

JOAN. RISSE, S. J.

Inſtructio Practica meditandi ſive mentaliter orandi.

QUanqum præces vocales, quæ verbis exterioribus peraguntur, conjunctæ cum intentione interna bonæ ſint, & proficuæ ad ſalutem; nihilominus hoc certum, orationem mentalem, quæ per ſolas fit cogitationes,& affectus animi, ſingulariter excellere, poſſeque benè inſtitutam plurimùm gratiæ conciliare, atque progreſſum in via virtutis cum inſigni promovere incremento. S. Hieronymus explanans illud Evangelii, cum Dominus affirmavit oraturos nos Patrem cœleſtem, Matt. *6.* v. *6.* oportere intrare cubiculum noſtrum, & januam claudere,exiſtimat Dominum nihil velle aliud nos docere,quàm ut benè precemur,debere nos redire ad nos ipſos, portas ſenſuum noſtrorum occludere atque in ſilentio perſiſtentes elevare mentem ad Deum. S. Gregorius docet, veram orationem, in ſolis labiorum verbis haud conſiſtere; ſed potiùs in cogitationibus & Cordium affectibus. Et S. Ambroſius, qui ſolùm orat mente ſine verbi alicujus per os prolatione, exercet inſignem fidei actum,dum fatetur Deum eſſe ſcrutatorem cordium, qui non indiget, ut loquamur exteriùs, quò noſtras intelligat cogitationes,atque nos deſideria noſtra eidem explicemus.

Non eſt hæc igitur nova praxis; ſed conſuetudo antiqua ſolidæ pietatis agnita & commendata per ſanctos Patres atque Eccleſiæ Doctores, orandi mentaliter.

Quotquot autem eam exercent velut oportet,poſſunt in eorum referri album, qui ſunt veri adoratores

Evangelici *Adorantes Deum in ſpiritu & veritate.* Joan. 4. v. 23.

Porro, ut quis benè huic Sancto ſe dedat exercitio, ſciendum, per meditationem ſive orationem mentalem intelligi conſiderationem animi piæ alicujus rei, ut inde eliciamus pios ſenſus, ſanctas affectiones inferentes fugam peccati, atque exercitium virtutum.

Atque ut hoc familiari ſimilitudine declarem. Inſtituenda eſt meditatio ſive oratio mentalis, non aliter de Deo & ſalute propria, ac faciunt communiter ſeculares perſonæ de negotiis ſuis temporalibus, & ſæpe peragunt peccatores, ut Deum offendant in ſui perniciem & damnationem.

Atque ut nobis ſerviat Exemplum, quod Dominus noſter in Evangelio proponit; vide ſis quid faciat homo volens ædificare domum; primo cogitat, quæ ſit habiturus commoda ex nova hac domo, tum expendit, quibus opus ſit ſumptibus. Ubi invenit grandem utilitatem; advertit quouſque ſeſe extendant, cùmque reperit, non excedere ſuas utilitates, quodque illas poſſit præſtare ſine ſuo incommodo, afficitur hoc conatu, concluditque in ſe ipſomet hoc exſtruere ædificium, coëmere materiam, aliaque neceſſaria in hunc finem præparare.

Conſidera adhuc, quid agat peccator obſtinatus, exempli causâ, qui renuit condonare injuriam inimico eidemque conciliari; ſi illius poſſes cor inſpicere, videres, quàm impiam inſtituat meditationem cogitat & recogitat, quàm acerba fuerit offenſa atque contumelia, quam ſe recepiſſe ſibi perſuadet. Objicit ſæpe ſuo animo injuriantem velut ingratum, perfidum, malitioſum, mentem adjicit ad vindictam, quam queat inferre, velut unicam rem, quæ paſſio-

paſſionem expleat,cauſetq; in mundo æſtimationem. Atque per has ſimileſque conſiderationes animat ſe magis atque exacerbat cor ſuum majore odio ; & demum ſtatuit nunquam cum inimico , in gratiam redire.

Ecce duos meditandi modos, qui ſervantur ordinariè in mundo, quibus ſolidæ frequenter horæ impenduntur ſine difficultate, eſto altera inutilis ſubinde ſit,altera ſemper perniciosa.

Age nunc,ut bona ſanctaque fiat meditatio, nihil opus eſt,quàm mutare materiam, & facere pro cœlo, vitaque æterna , quod mundo dediti ac peccatores pro terra atque inferno; nempe ut quis occupet animum in veritatum conſideratione , quas fides proponit, ut inde eliciamus & bonos affectus & pia propoſita.

Illud certum, mentem noſtram carni corruptibili immerſam ſæpe reperire difficultatem , cum ſeſe ad conſiderandas res applicat,quas per ſolam cognoſcit fidem, nec ita facilè ſibi imprimit, atque res ſenſibiles,unde facilè à propoſito argumento recedit, ſeque diſtrahi aliis permittit conceptibus.

Propterea Magiſtri vitæ ſpiritualis diverſa in ſubſidium noſtrum media propoſuerunt , ac certas praxes, quibus mentem adverſum hujuſmodi evagationes communiant & detineant coram Deo , tempore durantis hujus exercitii, docuêre.

Non quod aut unam precandi artem tradere præſumpſerint,aut limites operationibus Spiritûs Divini ſupra noſtros præſcribere auſi fuerint, veluti nonnulli omninò inconſideratè opinantur,& fortaſſis reprehendunt, culpantque.

Sed voluerunt ſolùm mentis noſtræ infirmitatem in exercitio orationis mentalis adjuvare, ne ſubſiſteret ex una parte otioſa, ex altera vanis atque inutilibus cooptationibus occuparetur.

Methodus univerſim magis approbata, & in ſequelam deducta eſt illa, quam feliciſſimus Epiſcopus Genevenſis in ſecunda parte libri de introductione ad vitam devotam propoſuit, quæ baſin habet in authoritate Scripturæ Sanctorumque Patrum, ac fortaſſis optima ac ſecuriſſima. Ecce tibi breve, eorum quæ continet, Compendium.

Ut bene mentaliter oretur, oportet ſe ad illud præparare velut verbis Sapientiæ nos docet ſpiritus Sanctus. Eccl. 18. v. 23. *Ante orationem præpara animam tuam: noli eſſe quaſi homo, qui tentat Deum.*

Hæc autem præparatio conſiſtit primariò, ut quis ſeſe colligat, mentemque à cogitationibus terrenis retrahat, ad Deum elevet, atque in illius præſentia conſiſtat.

Juſtus inquit *Sapiens cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo, & in conſpectu Altiſſimi deprecabitur.* Eccl. 39. v. 6.

Et S. Baſilius ait, oraturos debere ſemetipſos relinquere, mentem à terra retrahere cogitationibus atque affectibus intrare cœlum, & nobis imaginari, quod conſiſtamus ante thronum Divinæ Majeſtatis.

Poſtquam vivâ nos fide poſuimus in præſentia Dei, oportet ſeſe profundiſſimè humiliare coram maxima, ſuprema, atque infinita Majeſtate ad exemplum illius ſancti Patriarchæ, qui dicebat: auſimne loqui Domino meo & Deo meo, *cum* non *ſim* niſi *pulvis & cinis*? Gen. 18. v. 27.

Quod ſi peccatum pungat conſcientiam, oportet removere perfectaque cordis contritione deteſtari,

nam

nam peccatum velut Propheta docet, eſt *ſpiſſa nubes, quæ impedit, ne tranſeat oratio ad Deum.* Thren. 3. v. 44.

Deinde conſiderandum, quod S. nobis Apoſtolus declarat 2. Cor. 3. v. 5. *non eſſe nos ſufficientes cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis; ſed ſufficientiam noſtram ex Deo eſſe,* oportet igitur invocare ſubſidium Spiritus S. & rogare lumen gratiæ, ut bene hæc actio procedat.

Poſt hanc præparationem applicabis te meditationi materiæ, quam elegiſti. Hæc meditatio nihil eſt aliud, quam attenta illius conſideratio.

Sit Exempli cauſa, aliquod myſterium vitæ Domini noſtri.

Conſiderandæ ſunt omnes circumſtantiæ illius cum attentione. Attendendum ſingulariter ad perſonam JESU CHRISTI, ad illius humilitatem, charitatem, aliaſque virtutes in hoc myſterio apparentes.

Hoc meditationis exercitium, eſt vehementer in Sacra Scriptura commendatum atque â magnis Sanctis uſurpatum.

David, quamquam gravibus vaſti regni curis fuerit oneratus, teſtatur nihilominus ſe ſingulis diebus, matutino præſertim tempore res fuiſſe divinas meditatum.

Et longis antè annis S. ille Patriarcha (velut in libro Geneſis refertur) in aliquem ſolebat locum ad finem Diei meditandi ſtudio ſecedere.

Docet quoque nos Evangelium ſanctiſſimam Virgine in omnia, quæ videbat, & intelligebat de ſuo Filio JESU CHRISTO conſervâſſe in animo, conſiderâſſe & contuliſſe in corde ſuo. Luc. 2. v. 9.

Per hanc meditationem excitatur animus ad diverſos affectus ſanctos & velut regius ait Propheta, accenditur in corde ignis divini amoris, concipitur

novus horror & deteſtatio peccatorum, agnoſcuntur beneficia DIVINA, animatur quis ad exercendas virtutes, formantur propoſita, corrigendi cum labore vitia, & progrediendi in via perfectionis. Etenim ſicuti S. Ambroſius loquitur: *Intentio habenda, & finis: meditationi rerum Sanctarum præfigendus eſt, ut perveniamus ad exercitium virtutum.*

Magiſtri vitæ ſpiritualis omninò ſalutarem tradunt doctrinam, quæ dictat, non eſſe facienda ſolùm propoſita in genere, declinandi malum, & faciendi bonum; ſed expedire, ut proponamus evitare hoc vitium, in quod ſæpe prolabimur, exercere eam virtutem, quæ magis cognoſcitur neceſſaria & amplecti hæc certa remedia aut modos pro tali effectu. Illud quoque utiliſſimum erit, ejuſmodi ſibi propoſita formare, quæ quamprimum eodem adhuc die poſſint in actum redigi. S. Hieronymus idem conſulebat ſanctæ Virgini Demetriadi, dum illam inſtrueret hac orandi methodo, dicebat eidem verba, quæ digna ſunt obſervatione. *Fac tibi ſolitudinem in medio urbis, ubi ſingulis diebus à reliquis creaturis ſis ſejuncta. Appropinquabis & conjunges te Deo per preces, ita ut poſtmodum ad converſationem cum reliquis reverſa oſtendas apparere fructum, quem ex oratione tua hauſiſti.*

Denique ut concludas orationem, conſultum eſt tria præſtare.

1. Gratias agere Deo pro omnibus bonis cogitationibus, ſanctis affectibus & propoſitis, in decurſu orationis habitis.

2. Eidem offerre merita JESU CHRISTI ſui Filii conjuncta cum tuis omnibus bonis affectibus & propoſitis.

3. Pe-

3. Petere demiſsè ac ferventer gratiæ ſubſidium, ut hæc ipſa propoſita fideliter dentur executioni.

Inſtituere denique pro libitu epulum ſpirituale, hoc eſt dicere, conari retinere nonullos bonos affectus, quibus magis inter orandum quis commotus fuerit, ut illorum per diem reliquum recordetur, atqui hâc ratione cor ſuum ſervet benè rectèque diſpoſitum.

Ecce paucis verbis methodum Epiſcopi Genevenſis propoſitum velut magis facilem & ſecurum benè orandi mentaliter, atque perſonas adjuvandi, quæ huicſemet exercitio deſiderant applicare.

Attamen, velut diximus, hoc non eſt limites ponere operationibus ſpiritûs Sancti, qui dat cuique prout vult, ducitque animarum aliquas per vias planè extraordinarias.

Verùm illud benè cognoſcendum, timendum eſſe, ne hujuſmodi illicitium fallaciis obnoxium fiat per malum ſpiritum, qui ſe in Angelum lucis aliquoties transformat.

Etenim ſi benè obſervetur, gaudet ille vehementer ſeductione in rebus ſpiritualibus.

Quæ, ut in hoc puncto tanti momenti omninò declinetur; oportet ſibi ipſi in omnibus diffidere, & ſequi cum humilitate inſtructionem & conſilia perſonarum virtute atque experientiâ præditarum, præſertim illarum, quas Divina providentia, ut nos dirigant, præpoſuit.

Reſtant nihilominùs nonnullæ inſtructiones neceſſariæ in hac orationis materia, quæ ſupradictis includi non potuêre, prima eſt, legere ante cubitum meditationis argumentum, quam quiſpiam altero vult manè inſtituere, ita ut hoc ultimum omnium memoriam occupet. Etenim præterquam, quod huic ſanctæ cogitationi indormiatur, cauſat, ut faciliùs concipia-

cipiamus noſque in illo & minoribus diſtractionibus & majore fructu detineamus.

Secunda. Tempus orandi & locum commodum eligere, Experientia docet, tempus matutinum ſimul atque ſurreximus eſſe huic exercitio aptiſſimum. Quoniam eo tempore & magis liber eſt animus, & minus implicatus negotiis, tum quoad ejus fieri poterit, convenit eligere locum, in quo non ſimus expoſiti diſtractionibus, poſſimuſque animum ſervare coram Deo collectum.

Tertia. Cum ſit oratio, is eſt corporis habendus ſitus, qui præfert honorem Divinæ Majeſtati, in cujus præſentia ſumus, & ad quem cogitationes atque affectus noſtros volumus dirigere.

Evangelium docet Dominum noſtrum ordinariè precatum eſſe flexis genibus, & ſubindè facie in terram proſtratum.

Si igitur dilectiſſimus Filius hoc modo ſe compoſuit, quid non præſtandum ſervo abjecto atqui inutili.

Quod ſi per infirmitatem aut debilitatem, aut aliam ob cauſam, quis nequeat genibus flexis preces fundere, minimùm ſervandus eſt ſitus humilis ac modeſtus & ſupplere per reverentiam & devotionem internam, quod deëſt externæ.

Quod ſi contingat nullum ſentiri guſtum aut conſolationem orationis tempore, animumque diſtrahi aut tentari, cavenda eſt puſillanimitas, nec relinquenda Oratio, ſed generosè perſiſtendum. Beatus ille Epiſcopus Genevenſis conſulit, ut ea tempeſtate preces fundantur vocales breves & ferventes, quarum plures reperiuntur in Pſalmis Davidis, ut cor ad aliquem devotionis ſenſum excitetur.

Poterit quoque ſumi in manus liber aliquis pius

atque attentè legi, donec aut animus piâ aliquâ cogitatione illuſtretur, aut affectione ſanctâ moveatur.

Denique optimum remedium contra hujus generis deſolationes & ariditates ſpirituales, quæ ſubindè ſentiuntur; eſt, cùm illas ferre patienter, tùm valde ſe coram Deo humiliare, agnoſcere ſuã vilitatem, fateri ſe nec ullũ lumen, nec ullam gratiam Divinam mereri. Nihilominus implorare cum fiducia auxilium à Divina miſericordia & ſe conformare ſanctiſſimæ ipſius voluntati.

Atque ut nos præmuniamus contra has diſtractiones, ariditates, deſolationes aliaque Orationis impedimenta, ne noſtrâ redeant injuriâ, expediet plurimùm, recordari ſæpiùs per diem Divinæ præſentiæ, hanc veritatẽ recolendo, in quocunq; poſſumus morari loco, eſſe nos ſemper corã Deo, omnes noſtras actiones vidente, atque intimos animi receſſus penetrante.

Illud quoque proficuum erit, aſſuefacere ſeſe Orationibus jaculatoriis ſive brevibus & ferventibus aſpirationibus, & elevationibus animi ad Deum. Lectio piorum librorum admodum diſponit mentem ad benè meditandum.

Utile igitur erit ſingulis diebus aliquod temporis eidem attribuere.

Ad eundem finem multum ſervit continentia & mortificatio linguæ, ac ſenſuum exteriorum.

Sed ſupra omnia perſeverantiâ in hoc orationis exercitio, ita ut nulla præterfluat dies, quâ non aliquantum temporis eidem impendatur, eſt hoc medium præſtantiſſimum acquirendi habitum benè meditandi & conſequendi à Deo verum orationis Spiritum, eumque invitandi aut movendi, ut gratias in hunc finem neceſſarias abundè elargiatur.

Experientia melius cognoſci poteſt, quàm per

quæcunque dicta, quantum conſtantia quotidiè meditandi conducat, ut omnis generis benedictiones gratiæque in animam deriventur præcipuè, ut muniatur contra omnia peccata, quæ poſſent ſeparare à Deo, atque hoc pacto velut certam reddere ſalutem. Comperiuntur, qui jejunant & macerant corpus diverſis auſteritatibus, nihilominus ſervant cum illis odium in corde contra proximum, ſunt, qui liberaliter diſtribuunt eleëmoſynam, & cum eadem non omittunt committere nonnunquam varia honeſtati ſupra modum repugnantia.

Sed enim Oratio mentalis & peccatum mortale; ſunt duo velut incompatibilia in eadem anima, & moraliter loquendo, eſt quaſi impoſſibile, quod aliquis quotidiè aliquantiſper moretur in præſentia Dei, de illo attentè cogitet, de illo loquatur, cum illo communicetur, & retineat conſcientiam peccati, quod reddit Deo inimicum. Aut omittendum erit mentalis Orationis exercitium, aut renuntiandum peccato, animuſque in eo conſervandus ſtatu, in quo poſſit quotidiè coram Divina Majeſtate comparere.

Finiamus diſcurſum illo S. Chryſoſtomi conceptu. Hic, dum de oratione loquitur, affirmat magnum eſſe honorem & felicitatem poſſe pro libitu loqui Deo, ad eum cogitationes dirigere, deſideria noſtra exponere, & viciſſim; intelligere loquentem ad cor, ac communicantem lumina, gratiaſque ſuas ſingulares. Adjungit hoc colloquium & converſationem cum Deo extollere cor noſtrum ſupra vitæ mortalis conditionem, nobiſque donare veluti prægustum ſtatûs immortalis & beatitudinis, ad quam aſpiramus Deo adjuvante aliquando pervenire.

Coro-

CORONA ANNI CHRISTIANI

Sive meditationes præcipuarum, & majoris momenti Veritatum Evangelii JESU CHRISTI, diſtributæ in ſingulos anni dies, juxta officii Eccleſiaſtici Ordinem.

MEDITATIO PRO PRIMA DOMINICA ADVENTUS.

Erunt ſigna in Sole, & Luna, & ſtellis: & in terris preſſura gentium. Luc. 21. v. 25.

PUnctum 1. *Conſidera.* Eccleſiam in principio ſancti temporis Adventûs, ut evigilemus de ſomno peccati, & excitemur ad virtutem, proponere nobis maximè terribile, & formidabile fidei noſtræ myſterium, ſcilicet extremum judicium univerſale, in quo omnibus Creaturis humanis comparendum, ut recipiant ex ore ſupremi judicis ſententiam æternæ ſalutis, aut condemnationis.

Conſideraſtine unquam ſeriò, quod ſtaturus ſis in perſona coram tribunali JESU CHRISTI? quod viſurus tuis oculis divinum hunc judicem? & quod auditurus ſis ſententiam vitæ, aut mortis æternæ, quam vel pro te, vel contra te pronunciabit? Eheu! hoc eſt negotium majoris momenti, quàm alia ſint omnia. Perpende igitur diligenter, qua te ratione ad illud præpares?

II. *Conſidera* ſigna & prodigia quæ hoc judicium præcedent, ſol obſcurabitur, luna rubebit inſtar ſanguinis. Plures Cometæ cadent de cælis. Terra omni ex parte contremiſcet, mare effervelcet horribili tempeſtate. Aër coruſcabit fulminibus, & horribilibus tonitribus. Breviter, Univerſa natura erit in confuſione. O quantum tunc inter peccatores, & juſtos erit diſcrimen. Illi cruciabuntur à mala conſcientia: contabeſcent præ timore, & formidine; ſed hi pleni ſanctâ fiduciâ levabunt oculos in cælum, exſpectantes proximam redemptionem. Quomodo tu nunc diſpoſitus es? Quid cogitas? Quantum diſtant hæ cogitationes ab illis, quæ toties animum tuum in hac vita occupant.

III. *Conſidera* denique comitatum, qui præcedet adventum Divini Judicis. Aſpice ignem formidabilem, qui ex quatuor mundi angulis exurget, & conſumet omnia terrena, perpende quod venuſtæ domus omnes cum earum opulento ornatu, omne aurum, omne argentum, omnes lapides pretioſi cedent flammis. Ecce quò deveniat univerſa mundi felicitas, & gloria.

O Quàm felix eſt anima, quæ his perituris ſeſe non affigit, ſed intimè ſe dicat, & conſecrat Deo.

MEDITATIO PRO DIE LUNÆ.

Videbunt Filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna, & majeſtate. Luc. 21. v. 27.

I. CONſidera. Dominum noſtrum re ipsâ deſcenſurum de cælo, & venturum viſibili ſpecie in hunc mundum inferiorem ad judicandum, Sed modo planè diverſo à primo adventu, nam

nam deſcendet de cælo portatus à nube in comitatu totius cæleſtis Hierarchiæ.

Quanto delibutæ erunt gaudio animæ juſtorum, quando contemplabuntur divinum Salomonem, coronatum diademate gloriæ, in die magnificentiæ ſuæ, & triumphi! Quando videbunt omnes creaturas præſtare homagium, & flectere genua in nomine ſuo! Exopta te participem fieri hujus gaudii. Examina quid faciendum, ut te diſponas ad illud. In hunc finem propone de novo ſeparare cor tuum à vanis hujus mundi gaudiis, ut ſis dignus intrare aliquando in gaudium Domini.

II. *Conſidera.* Poſtquam divinus Judex in vallem Joſaphat deſcendit, qui eſt locus judicio deſtinatus, collocabit ſe in Throno Majeſtatis pleno, & tunc efficiet, ut appareat vexillum crucis in nubibus, aperiet ſacra vulnera, ac præcipuè quod habet in latere, unde promicabunt radii dulciſſimæ, atque amabiliſſimæ claritatis. O Quantam hæc cauſam gaudendi præbebunt bonis! Maximo ſolatio videbunt glorioſa hæc ſigna amoris ſui Salvatoris. Ex quibus redundabunt nihilominus mera fulmina, & fulgura iræ, atque indignationis contra reprobos, qui per ſua peccata ſanguinem, inde pro ipſorum ſalute promanantem pedibus conculcârunt.

Quantâ confuſione erubeſcent tunc miſeri illi, qui gratiam Dei contemptim rejecêre! Cave ne ex eorum ſis numero.

III. *Conſidera.* Apoſtolos ad latus ſupremi judicis ſeſſuros cum maximis Sanctis omnibus, honoratiſſimo ordine, atque inter omnes Sanctiſſima Virgo Mater MARIA habebit Thronum, proximum Filii ſui Throno; ſed non erit amplius ma-

ter miſericordiæ erga peccatores, nec magis intercedet pro illis, quàm reliqui ſancti, ſed potius rogabit juſtitiam, & vindictam in eos, qui gratiâ divinâ ſunt abuſi. Quò tunc devenient miſerabiles reprobi? ad quem confugient repulſi, & rejecti à Jeſu, à Matre, ab omnibus Sanctis?

Imprime tibi hanc ultimam repulſam, & durante adhuc gratiæ tempore, recurre ad Thronum divinæ miſericordiæ, implora ſanctiſſimam Virginem, ut tui ſuſcipiat patrocinium.

Meditatio pro die Martis.

Congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab invicem, Matth. 25. v. 32. Bonos collocabit a dextera, malos à ſiniſtra.

I. *Conſidera.* In hoc judicio conventum futurum omnium celeberrimum, qui unquam fuit. Etenim omnes populi, & nationes comparebunt ante thronum Divini hujus judicis. Advenient Reges, & principes terræ, ad audiendam ſententiam damnationis, aut ſalutis. Maximi Domini erunt immixti minimis ſuis ſubditis; nullus erit reſpectus perſonarum, aut dignitatum. *Omnes nos* (ut ait S. Apoſtolus) *manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit ſive bonum, ſive malum.* 2. Cor. 5. v. 10. Cogita attentè, te quoque unum ex his futurum, qui ſtabit ante Divini hujus Judicis thronum. Diſpone te ad hoc in tempore. Perpende quid tunc voluiſſes feciſſe. Poteris id nunc præſtare, ſi velis. Sed ſi negligas nunc facere, quod potes; tunc voles, & non poteris.

II. *Conſidera.* Poſtquam omnes homines convenerunt in loco, ultimo huic judicio deſtinato; Ange-

Angelos, ex mandato Supremi Judicis, ſeparaturos bonos à malis; atque hanc ſeparationem fore æternam, ſine ulla ſpe ſeſe unquam revidendi. Perpende quantum dolorem, quantam amaritudinem ſentient miſeri reprobi, æternùm ab electis ſeparati! quanto mœrore avelletur conjux à conjuge, filius à patre, amicus ab amico! O Redemptor mi, ne tunc, ſi placet, permitte me ſeparari à te!

III. *Conſidera.* Per hanc ſeparationem collocandos electos à dextera, reprobos à ſiniſtra. Illud certum; durante hâc vitâ, ſæpè nullum ordinem, ſed confuſionem eſſe in hoc mundo, dum juſti, & virtute præditi nunquam locum occupant, quem merentur. Videmus frequenter malos à dextera honorum, & proſperitatum; bonos à ſiniſtra contemptûs, & calamitatis; ſed ultimo hoc die Supremus Judex debitum cuivis locum aſſignabit.

In quantam rapiemur admirationem, ſi videbimus multos, quos in hac vita virtutum plenos putavimus, conſiſtere ad ſiniſtram Judicis Divini, cum æternâ ignominiâ! alios, in mundo contemptos elevatos ad dexteram cum honore, & gloria!

O quantum diſtant judicia Dei, & hominum! Jure igitur nobis diffidimus, & humiliamur.

* * * *
* * *
* *
*

Meditatio pro die Mercurii.

Tunc dicet Rex his, qui à dexteris ejus erunt, venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi, eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare. Matth. 25. v. 34. & 35.

I. Conſidera. Poſt peractam ſeparationem electorum à reprobis, Filium Dei conſiſtentem in Throno gloriæ, & regiâ majeſtate, converſurum ſe ad illos, qui erunt à dextera, atque amabili aſpectu dicturum illis hæc verba, *venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum, quod vobis paratum eſt:* quantum tunc temporis erit illorum gaudium! Hæc vox gaudio, & ſolatio haud dubiè inexplicabili electos implebit. Quàm dulce tunc erit recordari exiguorum obſequiorum, quæ conati fuerunt divino ſuo Redemptori præſtare, & pro illius amore perpeti! nihil obſtat, quò minus ex eorum ſis numero.

II. *Conſidera*, & expende ſingula verba, quæ ſupremus Judex proferet ad electos. (*Venite*) unde venient, & quò invitabit? Ex valle lachrymarum, & miſeriæ, ad gaudia, ad delicias, ad ſolatia cæli (*benedicti Patris mei*) quanta felicitas, habere partem benedictionis talis Patris? O Domine certum mihi eſt illum verè futurum benedictum, quem tu tuâ benedictione dignaris! Neque obeſt maledictio totius mundi, modò tu benedicas.

III. *Conſidera* verba ſequentia. *Poſſidete regnum quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi.* Quale regnum? quod ipſum poſſidet & poſſidebit Chriſtus in æternum. Ille enim promiſit, ſe colloca-

caturum in ſuo eum throno, qui animosè pugnabit, & victoriam obtinebit.

Quanta miſericordia, & amor hujus Regis gloriæ! qui dignatur elevare de pulvere, & cœno vilem, & nullius pretii creaturam, ut ſedeat non ſolùm cum principibus populi ſui, ſed cum ipſomet in eodem throno. (*Quia eſurivi & dediſtis mihi manducare*) O quantum prodeſt exercere opera charitatis, quæ tanto amore acceptantur & tantâ magnificentia compenſantur! quis eſt qui has veritates conſiderat, & renuit ſeriò ſuccurrere, aſſiſtere, & ſervire ſuo proximo, tam in corporalibus, quam in ſpiritualibus, ex amore tam amabilis Creatoris?

MEDITATIO PRO DIE JOVIS.

Tunc dicet & his, qui à ſiniſtris erunt: diſcedite à me maledicti in ignem æternum qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus. Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare. Matth. 25. v. 41. & 42.

I. CONſidera, poſtquam JESUS CHRISTUS favorabilem dixit ſententiam electis, converſurum vultum furore & iracundiâ plenum adverſum miſeros reprobos & dicturum *diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Verba terribilia! quibus inſtar fulguris cum tonitru in infelices invehetur, erunt illis hæc intolerabiliora, quàm ipſe infernus ejuſque tormenta, *Leo rugiet*, inquit, Propheta, *quis non timebit?* Amos 3. v. 8.

Eheu ſi Adamus audiens vocem Dei in paradiſo terreſtri, poſtquam comedit de fructu vetito,

tantopere timuit,ut ſe abſconderit, quanto horrore contremiſcent miſeri reprobi, cum ultimam Supremus Judex in eos feret ſententiam. Roga Dominum ne terribilia hæc verba te concernant, atque ut te ab ingenti hoc infortunio præſervet.

II. *Conſidera* & pondera attentè ſingula verba (*diſcedite à me.*) Quid hæc ſignificant niſi proſcriptionem de paradiſo, niſi ſeparationem æternam à Deo, niſi privationem perpetuam viſionis divinæ atque amoris. Ah Domine ſi tu me repellis, quis me ſuſcipiet ? quò ibo, ſi à tuo me conſpectu abigis? Quo me recipiam? ſi tu me proſcribis. (*maledicti*) O qualia verba! quàm terribilia, quàm formidanda! Quis concipere poteſt quanta hæc ſit Dei maledictio?

O Domine Jeſu Chriſte qui portaſti crucem maledictionis peccatis noſtris debitam, præſerva nos per gratiam tuam ab hac ultima & æterna damnatione.

III. *Conſidera* ſequentia verba (*ignem æternum.*) Eheu quale ſupplicium! quàm horrendum, quàm formidandum. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Iſaiæ 33. v. 14. amabo quis eſt, qui non timeat ignem (velut Scriptura loquitur) ſuccenſum in furore Dei, Iſa. 32. v. 22. ignem qui eſt paratus Diabolo & Angelis ejus; neque enim Deus intendit condere infernum pro hominibus, quos omnes vellet ſalvos fieri. Peccata eorum coëgerunt juſtitiam divinam eos aſſociare dæmonibus, quorum imitati ſunt rebellionem. (*Eſurivi enim & non dediſtis mihi manducare.*) Hic eſt ordo divinæ juſtitiæ, qui non fecerunt miſericordiam, habebunt judicium ſine miſericordia. Econtra

bea-

beati ſunt miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Matth. 5. v. 7. Eſto de horum numero, & roga patrem miſericordiarum ut det tibi Spiritum miſericordiæ, ut in extremo judicio dignus fias miſericordiâ.

Meditatio pro die Veneris.

Et ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam. Matth. 25. v. 46.

I. *Conſidera*, quod prolatâ ſententiâ à Supremo Judice in reprobos, terrâ ſub eorum pedibus apertâ ruent in terribile inferni barathrum: Quid cogitabunt miſeri, cum ſe videbunt ſepultos in hac profunda abyſſo, flammis circumdatos, traditos poteſtati crudeliſſimorum hoſtium, qui continuò ſine ulla quiete eos cruciabunt. Quantus dolor, eſſe in tam infelici ſtatu conſtitutum, qui facile potuiſſet vitari, ſi voluiſſent cooperari gratiæ, quam Deus in hac obtulit vita! Qualis deſperatio quando cogitabunt, hanc damnationem fore ſempiternam, nec ullam ſupereſſe miſericordiam, nullum recepturos levamen, nec ullum in pœnis ſolatium! Quàm hæc res terribilis eſt! Tunè unquam incidas in manus Dei, in juſtum furorem provocati, implora ejus miſericordiam, ut à tanto te malo præſervet.

II. *Conſidera* nunc econtra gaudium & exultationem Electorum, qui ob exercitam hanc juſtitiam benedicent Deo, & elevabuntur ſuper nubes cælumque conſcendent comitante Rege gloriæ JESU CHRISTO, qui eis coronas partietur, atque juxta merita remunerabit.

Quantâ abripientur dulcedine eorum corda, cum videbunt magnificum apparatum, & pulchritudinem paradiſi, cum guſtabunt delicias ac voluptates manſionis pacis & felicitatis. Sed ſuper omnia, cum perpendent hanc gloriam nunquam auferendam, hæc gaudia, hanc poſſeſſionem æternùm duratura!

Quas laudes non tribuent divino Redemptori, quod iis per mortem ſuam hanc vitam æternam & felicitatem promeruerit?

Conjunge tuum cum illis affectum, lauda, & benedic illi, qui te ad finem adeò glorioſum creavit, & meritus eſt per ſuum ſanguinem gratias neceſſarias, quibus illâ potiaris. Roga ut gratiam largiatur tibi finalem, quò intres in beatam hanc manſionem.

III. *Conſidera* eſſe te in medio inferni, & Paradiſi, Deum tibi relinquere alterutram eligendi poteſtatem, electionem autem tuam futuram æternam; & quamquam Deus liberam tibi electionem relinquat, deſiderat tamen amore infinito, ut eligas Paradiſum. JESUS CHRISTUS invitat te, & affert gratias, ut adjuvet in via, quæ eò deducit.

Perpende igitur utrum eligas, ſed ſi veram habeas fidem, non eſt electioni locus. Nunquid debes ex toto corde deteſtari infernum, non modò ob pœnas, quæ in eo tolerantur; ſed etiam propter blaſphemias, quæ contra Deum evomuntur, deinde percelli horrore abominandi hujus loci, nonne cogitationes tuas convertere, & cor tuum debes ad manſionem gloriæ? ubi Deus æternùm amandus erit, & glorificandus, & acceptare ſecundum omnem affectuum tuorum latitudinem invi-

invitationem, quam JESUS CHRISTUS facit, commorandi æternùm in loco pacis, & conſolationis? Ergo ſtatue fortiter per anguſtam progredi ſemitam virtutum, ut eò pertingas. In hunc finem pete à divino Redemptore gratiæ ſubſidium.

Meditatio pro die Sabbathi.

Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere iſta omnia quæ futura ſunt, & ſtare ante Filium hominis. Luc. 21. v. 36.

I. *Conſidera*, quod Dominus noſter JESUS CHRISTUS poſtquam prædixit, atque explicavit omnia, quæ contingent, in ipſius judicio extremo, iis concludat verbis, quæ ſufficienter docent, quàm avidè tuam deſideret ſalutem.

Quoniam idem, qui eſt judex, evadit conſiliarius, & proponit media aptiſſima ad æternam ruinam declinandam. Agnoſce igitur quantopere ſis obligatus Divini hujus Servatoris amori. Redde humillimas illi gratias pro ſalutaribus documentis; & ſtatue firmiter eiſdem te conformare.

II. *Conſidera*, 1 mum documentum eſſe de vigilantia, quam diverſimodè in Evangelio inculcat. Per quam intelligit, ut ſedulò attendas ad te ipſum, benè expendas, in quo degas ſtatu, obſerves omnia dicta, facta, cogitata, ne quidquam legi divinæ contrarium contineant, & ſi caſu pecces, non indormias malo huic ſtatui; ſed mox per veram pœnitentiam reſurgas. Reſpice, & recipe cum humilitate hoc documentum, & propone in praxin redigere.

III. *Con-*

III. *Conſidera* 2dum documentum, quod eſt ſemper orare. In quo agnoſces tuam imbecillitatem aliquid boni præſtandi & neceſſitatem gratiæ continuam, quam debes ſingulis vitæ momentis quotidiè in variis occaſionibus exorare: ſed præcipuè cùm advertis tentationem, aut te in periculo peccandi conſtitutum, debes firmam concipere fiduciam; quod ille qui tibi mandavit orare, & petere gratiæ ſubſidium, non habeat animum eam negandi: Attamen cum non neſcias te ob peccata ſæpè indignum ut exaudiaris, recurre ad ſanctiſſimam Virginem, quam Eccleſia compellat matrem miſericordiæ, & refugium peccatorum, ut illa tuum ſuppleat defectum, & ſuâ impetret interceſſione, quod tu precibus tuis conſequi non mereris.

MEDITATIO PRO SECUNDA DOMINICA ADVENTUS

Tu es qui venturus es, an alium exſpectamus? Matth. 11. v. 3.

I. CONſidera, quod Eccleſia hâc ſecundâ Dominicâ proponat nobis adventum Filii Dei in hunc mundum, planè diverſum ab illo, quem vidimus Dominicâ præcedente. Namque adventus ille, de quo nobis hodiè loquitur, non eſt adventus rigoris, & juſtitiæ; ſed gratiæ, & miſericordiæ. Hic adventus prædictus eſt per Prophetas, exſpectatus, & deſideratus per Patriarchas, & factus in plenitudine temporis. Cogita quanta ſit felicitas vivere te in hoc ſæculo gratiæ, & nativitatem tuam præceſſiſſe benedictionem cauſatam

per

per Incarnationem Filii Dei. Non es in exſpectatione ſicut veteres; ſed gaudes ipſa gratiâ, quam illi deſiderârunt. Qui debuit venire venit. Opus Redemptionis tuæ completum eſt. Vide quis tibi debeat eſſe ſenſus de tanto favore?

II. *Conſidera* miſerabilem mundi ſtatum, ante adventum Filii Dei, tenebræ idololatriæ, atque infidelitatis cooperuerant univerſam ferme terram. Ubique videbantur templa, & altaria conſecrata Dæmonibus. Deus verus ignorabatur, non honorabatur; ſed offendebatur. homines erant immerſi variis peccatorum ſordibus; vivebant, & moriebantur rei læſæ divinæ Majeſtatis.

Vide qualis fuiſſes, ſi charitas divini tui Redemptoris ab hoc temet opprobrio non vindicâſſet, donans poteſtatem Filium Dei te fieri. Quas ipſi laudes, quas gratias pro tanto beneficio reddidiſti? & quid demum præſtabis in agnitionem tanti amoris?

III. *Conſidera* magnitudinem & exceſſum amoris divini, qui elucet ex hoc myſterio; licet enim graviſſimè eſſet per hominum peccata offenſus, loco tamen vindictæ, & pœnæ, quam merebantur, miſertus eorum eſt, miſitque Meſſiam, ac Redemptorem, qui & à miſeriis eos liberaret, & vitam procuraret æternam.

Quis eſt ergo qui poterit condignè laudare, benedicere, & gratias habere pro tanto amoris, & miſericordiæ exceſſu? ſed eſtne poſſibile, quod tantâ gratiâ præventus volueris reddere ingratitudinem & contemptum illi, qui horum eſt author, & offendere illum Deum, qui tanto cum exceſſu te adamavit, dilexitque quando penitùs indignus eras?

ME-

Meditatio pro die Lunæ.

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret. Joann. 3. v. 16.

I. *Conſidera* excellentiam illius, qui ſuum declarat amorem in myſterio Incarnationis, Deus eſt, qui amat, Deus incomprehenſibilis Majeſtatis, qui aliam non habet amandi cauſam; niſi quia (velut Apoſtolus ait) *dives eſt in miſericordia*, Eph. 2. v. 4. & idcirco nos amavit, non quod eguerit noſtrî, aut viderit aliquod in nobis meritum; ſed ex pura miſericordia, & charitate.

Lauda, & benedic Deo, qui uſque adeò ſe admirabilem oſtendit in ſua bonitate, & amore. Expta, & quantum fieri poterit; procura, ut magis, & magis cognoſcatur, ametur, glorificetur in omnibus locis, atque omnis generis creaturis.

II. *Conſidera*, quis eſt? quem Deus amat, eſt mundus; hoc eſt multitudo peccatorum, qui merebantur odium pro offenſis, & illatis injuriis ſupremæ Majeſtati, ita Deus amavit etiam homines tunc, cum eſſent inimici, rebelles ſuæ voluntati, & qui utebantur beneficiis in largitoris contemptum, & offenſam. O Deus infinitæ magnitudinis, & ſanctitatis! cur dignaris amare miſerabiles adeò creaturas, in quibus nihil reperis, niſi quod horrorem cauſet, atque indignationem? Verùm unde contingit, quod mortales, videntes ſe tanto honore præventos, tam parum agnoſcant, & moveantur? Explora cor tuum in hoc puncto, & vide quo hæc agnoſcas modo, & quem velis amorem Deo reddere?

III. *Con-*

III. *Conſidera* effectum hujus divini amoris erga homines, qui eſt, quod dederit filium ſuum unicum, donum pretioſum, & inæſtimabile, quodque ſuperat omnia alia dona infinita. O ſi ſcires pretium, & valorem hujus doni! O ſi cognoſceres, quid hoc ſit, habere JESUM CHRISTUM! quanto rapereris in tale beneficium affectu! Interim mundus accepit hoc donum pretioſum: & Deus unicum ſuum Filium donavit; Verùm nec agnitus fuit nec receptus; ſed contemptus eſt. O cæcitatem deplorandam! Roga Deum, ut te præſervet ab hoc caſu. Efflagita, ut tibi, omnibuſque hominibus concedat lumen, & gratiam agnoſcendi hoc beneficium,& reddendi obſequia, amorem, & gloriam, quæ eidem debetur.

MEDITATIO PRO DIE MARTIS.

Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut judicet mundum; ſed ut ſalvetur mundus per ipſum, Joann. 3. v. 17.

I. CONſidera finem, ob quem miſit Deus Filium ſuum in mundum; qui non fuit ut ſeſe diſtraheret; nec ut oſtenderet ſplendorem magnificentiæ ſuæ; non ut imperaret hominibus, velut legitimè potuit; quoniam terra, & omnes creaturæ ejus ſubſunt dominio. Venit in mundum, ut ſalvetur mundus per ipſum; & ut omnis, qui credit in illum, non pereat; ſed habeat vitam æternam.

Ecce cauſam, cur divinus Meſſias venerit in mundum. Huic cauſæ impendit omnia vitæ momenta, omnes curas, omnes labores uſque ad ultimam ſanguinis guttam. Et tu cur vivis in mundo?

mundo? quæ ſunt tua ſtudia? quò diriguntur? cui dies vitæ impendis? Ah! ſi vel micam habes pietatis; nunquid debes illi vivere, qui pro te & vivere voluit, & mori?

II. *Conſidera*, quomodo Deus ſalutem in mundo perfectiſſimè ſit operatus, auferendo, quidquid cauſare poterat perditionem; peccata condonando; rumpendo catenam ſervitutis diabolicæ; clauſas hactenus cœli portas aperiendo; viam, per quam, ut eò perveniatur incedendum eſt, complanando; gratiam, & vires neceſſarias ad reſiſtendum inſultibus dæmonum, legemque divinam ſervandam largiendo: ut nihil obſtet, quò minus & tu partem hujus ſalutis aſſequare, quam ſuis acquiſivit meritis, modò libeat fideliter gratiis cooperari.

Quas gratias agis Salvatori Divino pro his amoris affectibus? & quid præſtabis obſequii in cognitionem illius, quod pro tua ipſe ſalute perfecit.

III. *Conſidera*, quod Deus, ut opus miſericordiæ impleret, voluerit, ut beneficium Redemptionis ſe ad omnes extenderet homines; dedit Filium ſuum, ut ſit Salvator omnium hominum, nemine excepto, ita ut nullus pereat, qui viva in illum fide credit; ſed vitam obtineat æternam. Eum in finem voluit, ut Filius ſuus proferret lumen gratiarum ſuarum, quo illuminarentur omnes homines, qui veniunt in mundum, ſi hæc ita ſint, agnoſce coram Deo partem, quam habes in hoc beneficio, quæ tanta eſt, ut poſſis, & debeas dicere, Deus me ſic amavit, ut Filium ſuum unigenitum mihi dederit; &, ſi credam in eum, non peribo; ſed obtinebo vitam æternam.

Exer-

Exerce actum fidei de hac veritate; reflecte, quis tibi debeat eſſe animus, & qualia debeas concipere propoſita.

MEDITATIO PRO DIE MERCURII.

Ego veni ut vitam habeant & abundantius habeant, Joan. 10. v. 10.

I. *Conſidera*, quod per hæc verba Dei Filius adhuc clariùs oſtenderit magnitudinem ſui amoris erga homines; multum erat eos eſſe redemptos & liberatos à morte æterna, quam per ſua merebantur peccata, magnus erat favor, quod à ſtatu mortis ad ſtatum vitæ eos tranſtulerit; ſed hæc omnia non ſufficiebant ejus bonitati, voluit redemptionem ſuam eſſe copioſam atque abundantē, hinc poſtquam eos liberavit à malis tam grandibus, complevit illos quoque omnis generis bonis & beneficiis. O exceſſum amoris quis poterit vel cogitatione comprehendere bonitatem tam admirabilem! cumque Deus adeò ſit erga te liberalis, eriſne parcus in obſequiis eidem debitis reddendis? ſed age quo amore reciproco agnoſces amorem adeò magnificum atque exceſſivum?

II. *Conſidera* abundantiam redemptionis & vitæ per Filium Dei collatæ ex hoc, quod noluerit certam erga mortales liberalitatis ſuæ ponere menſuram; ſed iiſdem aperuerit theſaurum ſuarum gratiarum, donorumque cæleſtium, ut pro libitu inde extrahant. Unde in te ſolo ſitum eſt, quod non d teſcas omnis generis virtutibus, atque ingentes facias in via perfectionis progreſſus. Potes, ſi voles, cum gaudio & abundantia haurire aquas gratiarum de fontibus Salvatoris.

Quid igitur impedit te non abundare virtutibus & gratiis? Eheu non obſtat JESUS CHRISTUS qui cum tanto amore omnes offert Theſauros. Humiliare & confundere ob tuam ignaviam & languorem, propone diligentiùs reſpondere intentioni Divini hujus Salvatoris in ordine ad ſanctificationem tuam & perfectionem.

III. *Conſidera* infelicitatem plurimorum hominum, qui non ſolùm ſunt ſocordes & remiſſi in exercitio virtutum; ſed etiam contemnunt & rejiciunt gratias, quas Deus tantâ offert bonitate, & per horrendam cæcitatem præferunt ſervitutem Diaboli libertati Filiorum Dei; ſeque damnant ac præcipitant in abyſſum perditionis in mediis occaſionibus ad ſalutem, quas JESUS CHRISTUS illis offert. O cæli obſtupeſcite univerſum hunc ordinem, quo quis deſerit principium vitæ, ut currat ad mortem; abjicit Chriſtum, qui vult ſalvare, ut ſe tradat dæmoni, qui vult perdere. O Domine JESU præſerva nos ab hac infelicitate, da nobis vitam tuæ gratiæ, ut nunquam ſeparemur à te; ſed ut vivamus in te & propter te.

MEDITATIO PRO DIE JOVIS.

De plenitudine ejus nos omnes accipimus. Joan. 1. v. 16.

I. CONſidera, quia nobis Pater cæleſtis donavit ſuum Filium per myſterium Incarnationis, ut eſſet Redemptor mundi & reſtaurator omnis ruinæ, quam cauſavit peccatum, omnibus eum exornâſſe donis & talentis ad hunc finem neceſſariis. Humanitati donavit plenitudinem gratiarum, conſtituit eum Filium caput Eccleſiæ & voluit, ut per ipſum par-

participes fieremus gratiarum, atque ut ipſe ut caput influeret vitam continuò & virtutem in ſuum corpus myſticum, quod eſt Eccleſia & in omnia membra, præſertim fidelium.

Agnoſce Chriſtiane (ait ille SS. Patrum) ad quem ſublimem te honorem Deus elevaverit, cogita nonnihil cujus ſis corporis factus membrum, quale ſit hujus corporis caput, cave ne dehoneſtes hoc caput, nec redde dignitatem tuam abjectam per actionem aliquam ignavam, indignam Charactere, quem recepiſti in Baptiſmo.

II. *Conſidera*, quam perfectè Chriſtus adimpleverit munera capitis in ſua membra, quæ ſunt fideles; inceſſanter iis communicando ſuam virtutem & gratiam. Hinc & ipſi obligantur eidem reddere quæ capiti debentur. Oportet ut huic divino capiti uniantur indiſſolubiliter per Charitatem, atque ab eodem intime dependeant, per obedientiam & ſubmiſſionem omnium affectuum.

Cum tu igitur habeas honorem ut ſis membrum hujus Sancti capitis, ora ſicut quotidiè orat Sacerdos in miſſa nomine Eccleſiæ totius, ne permittat unquam te ſeparari à ſe. Supplica ut tibi donet cor docile ad omnes motus ſui Spiritûs & ſuæ gratiæ.

III. *Conſidera*, ut ſis dignum Divini hujus capitis membrum, non ſufficere honorem & amorem; ſed oportere attendere & defendere, quæ ad ipſius ſpectant gloriam & generosè ſe opponere omni illi, quod poſſit cauſare præjudicium vel diminutionem ipſius gloriæ & honori; quemadmodum membra ſe exponunt pro conſervando & defendendo capite. Excita in te ipſo zelum, quem debes habere, ut defendas honorem CHRISTI, & promoveas augmentum illius gloriæ. Precate ut in corde tuo accendat in eum finem hunc ſacrum ignem, quem ipſe venit mittere in terram.

Meditatio pro die Veneris.

Ecce agnus Dei, Ecce qui tollit peccatum mundi, Joan. 1. v. 30.

I. *COnſidera*, CHRISTUM appellatum eſſe agnum Dei, ut oſtenderetur eum habuiſſe qualitates & conditiones Agni myſtici, quæ eidem ad operandum hominum ſalutem erant neceſſariæ. Et primò ſicut agnus eſt blandus, tractabilis, & ductilis ad omnia, quæ volumus ſine reſiſtentia, eodem modo CHRISTUS erat ſubjectus voluntati Patris ſui cœleſtis. Ille deſcendit de cœlo in terram, non ut faceret voluntatem ſuam; ſed ejus qui illum miſit. Joan. 4. v. 34. Fuit obediens uſque ad mortem, Ad Philip. 2. v. 8. & velut agnus ductus eſt ad ſupplicium ſine planctu ullo aut reſiſtentia. Iſai. 53. v. 7.

Diſce ab hoc agno Divino virtutem obedientiæ. Satis hactenus explêſti voluntatem propriam, tempus eſt ut incipias obedire Deo & te ſubmittere ejus diſpoſitionibus.

II. *Conſidera*, velut agnus eſt animal innocuum, quod neminem lædit, aut nocumentum infert: Eodem modo CHRISTUS eſt juſtus & innocens, qui nunquam peccavit, nec iniquitas fuit reperta in eo; ſed fuit Sanctus Sanctorum & prototypon perfectum omnis virtutis & ſanctitatis.

Et Tu quis es? nunquid conceptus es in peccato? nunquid fuiſti Filius iræ & indignationis? nunquid vita tua inquinata & infecta eſt vitiis? Ergo humilia te in agnitione miſeriarum tuarum, & roga hunc Dei agnum, ut tollat peccata tua, participemque te reddat ſuæ innocentiæ & juſtitiæ.

III. *Conſidera* agnum eſſe animal aptum ad ſacri-

crificandum, hinc Deus ordinavit in veteri lege, ut quotidiè ſibi agnus immolaretur qui erat figura quod JESUS CHRISTUS ceu agnus eſſet myſticus offerendus in ſacrificio, & ſerviret pro hoſtia propitiationis, pro peccatis totius mundi. Agnoſce igitur, quàm ſis obligatus innocenti huic agno ejuſque meritis. Nec permitte ullum vitæ diem prætcrlabi ſine humillima gratiarum actione, quod voluerit ſuum ſanguinem ſuamque vitam, in ſacrificium pro tua ſalute offerre.

Meditatio pro die Sabbathi.

Ipſe eſt, cujus ego non ſum dignus, ut ſolvam ejus corrigiam calceamenti, Joan. 1. v. 28.

I. *Conſidera*, quàm magna & quàm ſupereminens ſit excellentia & ſanctitas JESU CHRISTI, quam Sanctus Joannes nobis declarat per hæc verba. Licet enim hic S. Præcurſor fuerit ſanctificatus ante nativitatem; licet receperit tantam gratiæ abundantiam, ut inter natos mulierum nullum habuerit majorem, nihilominus proteſtatur ſe eſſe indignum, qui ſe proſternat in terram, & ſolvat corrigiam calceamenti, hoc eſt, ut deferat vel minimum eidem obſequium.

Et, te, qui procul diſtas à virtute & perfectione magni illius Sancti, quid oportet dicere? Quid meritò de te ipſo judicas? nunquid verum eſt, eſſe te indignum, qui vel nomen habeas ſervi JESU CHRISTI, & quod ſummo tibi ſit honori ſi divinus hic Salvator tolerat, ut vel minima in te tuum oſtendas obſequium.

II. *Conſidera*, quis tibi animus eſſe debeat cum te diſponis ad ſuſcipiendum Corpus Sanctiſſimum

CHRISTI, in S. Communione. Non agitur hîc de ſolvenda corrigia calceamentorum; ſed de unione cum ipſo intima & perfectiſſima, ita ut ille habitet in te, & tu in ipſo.

Nunquid igitur juſtiſſimè, ut te ad receptionem tanti Sacramenti diſponas? Eccleſia tibi hæc verba ponit in ore: *Domine non ſum dignus ut intres ſub tectum meum?* Matth. 8. v. 8. Dum ergo hæc pronuncias, aut audis pronunciari tuo nomine à Sacerdote, nunquid omnino debes te abjicere & annihilare coram divino hoc Domino, & concipere nova propoſita honorandi & amandi magnitudinem charitatis, quam in hoc myſterio clariſſimè oſtendit?

III. *Conſidera*, quid cogitare te oporteat, de virtute & perfectione ſanctiſſimæ Virginis, quæ fuit electà à Deo, non ut ſolveret corrigiam calceamentorum aut aliud ſimplex exhiberet ſervitium, ſed ut eſſet digniſſima Mater hujus Divini Redemptoris.

Ad quantum putas gradum gratiæ & ſanctitatis hæc fuerit elevata, ut attingeret tam eminentem & ſublimem dignitatem, & per conſequens quantam debeas ei reverentiam, quæ eſt in qualitate Matris Dei? quanta cum devotione & fiducia debeas recurrere ad illius protectionem, & implorare interceſſionem?

Me-

MEDITATIO PRO DOMINICA TERTIA ADVENTUS

Miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis Sacerdotes & Levitas ad eum ut interrogarent eum, tu quis es? Joan. 1. v. 19.

I. CONſidera. Virtutes Sancti Joannis tantam eidem cauſaviſſe exiſtimationem, ut plures crederent eum eſſe Meſſiam, eam ob cauſam ſolemnem legationem Sacerdotum & Levitarum Judæi ad eum inſtituerunt, ut ſcirent ex ipſomet, quis eſſet? Verùm magnus hic Sanctus oſtendit veram & germanam cordis humilitatem, apertè declarando, ſe non eſſe Meſſiam, nec poſſe ferre vel ut alius credatur quàm ſit, vel honor ſibi tribuatur indebitus. O quàm pauci reſpuunt hujus claſſis adulationes, quàm pauci recuſant ex animo honores oblatos, atque encomia quibus mactantur ſupra merita. Cave ex eorum ſis albo. Rejice cogitationes vanas, quas ſpiritus ſuperbiæ poteſt ſuggerere. Dic cum Propheta; ex toto corde. *Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* Pſ. 113. v. 8.

II. *Conſidera* S. Joannem non ſolùm teſtatum eſſe ſe non eſſe Meſſiam; ſed etiam noluiſſe æſtimari ſe eſſe Eliam aut unum ex Prophetis, licet duos hos titulos, quos Evangelium eidem dedit, jure potuiſſet ſibi concedere.

Diſce hinc verè humilem non ſolùm amovere à ſe honorem indebitum, ſed etiam fugere pro virili illum, quem legitimè poſſet acceptare. Omnia Deo tribuit, cui debetur omnis honor & gloria? Esne tu ita comparatus? an non aliquid ſuperbiæ latet in corde? Quis tibi animus eſt, cum laudaris, aut honoraris?

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

III. *Conſidera* Joannem ulteriùs progredi, cum urgeretur, ut declararet quis eſſet? non dixit ſe eſſe Filium Zachariæ aut de tribu Levi. Enimverò qui verè humilis eſt, nec ſuam ſtirpem, nec parentes, nec alia jactat de ſua familia. Solùm ait ſe eſſe vocem clamantis in deſerto, ut ſignificet, ſicut vox non poteſt ſubſiſtere à ſe ipſa; ſed tota dependet à proferente; ita velle de ſe credi, ſe de ſe eſſe nihil; ſed omnia ſe habere à Deo, quæ diceret vel faceret bona.

Imitare hunc Sanctum & agnoſce ſincerè coram Deo, quod de te nihil ſis, nihil poſſis; ſi verò quid boni habeas in te, eſſe effectum gratiæ divinæ, & donum miſericordiæ, conſequenter omnem eidem deberi honorem.

MEDITATIO PRO DIE LUNÆ.

Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in Civitatem Galilea, cui nomen Nazareth, ad Virginem Luc. I. v. 26. *& nomen Virginis Maria*, v. 27.

I. *Conſidera*, quod poſtquam tempus advenit, quo ſtatuit Deus myſterium Incarnationis Filii ſui exequi, voluit hanc mentem ſuam ſanctiſſimæ Virgini innoteſcere, quam in Matrem Filii elegerat. In hunc finem miſit aliquem Angelorum ut eidem annunciaret fælicia hæc nova, & obtineret conſenſum ex parte illius deſideratum.

Admirare ſuavem procedendi modum, quo Deus hoc propoſitum eſt executus. Poterat agere authoritate abſolutâ, poterat mandare & obligare, poterat exequi quod ſtatuerat ſine ulla communicatione; ſed optimus Deus noluit ita procedere, & quam-

quam ſupremus ſit Dominus ; placet nihilominus nobiſcum agere ſine ullo libertatis detrimento.

O Domine, quàm ſuavis eſt Spiritus tuus, quàm amabilis agendi ratio! Quis ſe non animitùs ſubjiciat omnibus, quæcunque pro noſtra ſalute, decreverit.

II. *Conſidera* circumſtantias hujus legationis. Deus eſt infinitæ potentiæ & majeſtatis, qui mittit unum ex primis principibus Paradiſi ad Filiam adoleſcentem incognitam mundo; ſed illuſtrem coram oculis Dei ab eximiis virtutibus, quæ divinum hunc Monarcham invitârunt, ut eam magnorum regum hujus mundi filiabus prætulerit.

O quàm ſæpe accidit, ut qui ſunt coram mundo contempti, æſtimentur à Deo! O quàm præſtat magnum eſſe coram Deo, quàm talem comparere in oculis hominum. Vide utrum malis æſtimari à mundo, & contemni à Deo: An probari à Deo, & rejici à mundo?

III. *Conſidera* cauſam legationis, nempè ut obtineatur conſenſus hujus Virginis, electæ in Matrem Dei, quantus honor, quanta felicitas hujus ſanctæ Creaturæ! cum qua Deus hac ratione procedit, quam voluit concurrere ad executionem tam ſancti Conſilii.

Inter hæc quanta felicitas eſt tua, quod Deus dignetur tam frequenter mittere ſanctas ſuas inſpirationes & gratias velut legatos, qui ſollicitent, ut receptus in animam tuam, illam poſſideat & dirigat. Et tu quanto detrimento reſpicis oblatam tibi miſericordiam, præteris ſurdâ aure illius ſuaviſſimas invitationes, nec vis conſentire illi, quod pro tua ipſa ſalute, deſiderat!

Meditatio pro die Martis.

Et ingreſſus Angelus ad eam dixit, Ave gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, Luc. 1. v. 28.

I. Conſidera & pondera verba, quibus Angelus Sanctiſſimam Virginem ſalutavit.

1. Dixit eam eſſe gratiâ plenam, quod eſt dicere, Deum in illam effudiſſe copioſiſſimam plenitudinem pretioſorum donorum, ita ut eſſet plena fide, ſpe & charitate, omnibuſque virtutibus, & ſcateret anima illius ſublimiſſimis gratiis, cor inſuper eſſet ſacra apotheca theſauris inæſtimabilibus ſanctitatis refertiſſima. Ecce cauſam confuſionis tui ipſius, dum notas paupertatem in his veris divitiis tuâ culpâ, & advertis media neglecta, quæ, ut eas in abundantia tibi comparares, ipſe donavit. Supplica ſanctiſſimæ Virgini, ut dignetur in cor tuum exiguum gratiarum in illam derivatarum guttam transfundere, ut illius opulentia ſuppleat tuam egeſtatem & penuriam.

II. *Conſidera* verba ſequentia, *Dominus tecum*, hoc eſt dicere, hanc Virginem ſanctiſſimam intimo charitatis vinculo eſſe Deo perfectiſſimè unitam, atque ante corpus ipſius ſanctum fuiſſe templum vivum divinitatis, quàm utero Deum concepit.

O quanta Felicitas eſſe animam unitam cum Deo! quantum malum eſſe ſeparatam, eſſe rejectam à Deo! Roga infinitam Dei bonitatem, ut à tam funeſta te ſeparatione præſervet. Proteſtare, nolle te quæcunque eveniant, Deum relinquere, aut ab eodem divelli.

III. *Con-*

III. *Conſidera* reliqua Angeli verba ad ſanctiſſimam Virginem. *Benedicta tu in mulieribus.* Hoc eſt dicere, feliciſſimam hanc creaturam per Privilegium ſpeciale atque incommunicabile perſonæ alicui iſtius ſexûs poſſidere ſimul benedictionem Virginitatis & fœcunditatis, ut ſit Mater & Virgo, & Deum per illam nobis communicâſſe fructum vitæ, qui nos à maledictione liberatos omni benedictione adimplevit.

Benedic illi, quam Deus voluit per excellentiam eſſe benedictam inter omnes Creaturas. Exopta ut ſit magis & magis glorificata & honorata in cœlo atque in terra ad majorem illius honorem ac gloriam, qui illam his decoravit privilegiis. Roga Virginem benedictam ut te ſuæ reddat participem benedictionis & gratiæ, ut ſis ex numero eorum quos CHRISTUS appellat benedictos Patris ſui.

MEDITATIO PRO DIE MERCURII.

Quæ cum audiſſet turbata eſt in ſermone ejus, & cogitabat qualis iſta eſſet ſalutatio. Luc. 1. v. 29.

1. CONſidera, nullibi in tota legi Evangelica hiſtoria, Virginem fuiſſe unquam turbatam, quæ eidem cunque obvenerint, licet gravia & moleſtiſſima. Manſit ſemper tranquilla animo in maximis adverſitatibus & afflictionibus, in perſecutione Herodis, in fuga in Ægyptum, dum amiſit chariſſimum Filium Hieroſolymis, denique in acerbiſſimis doloribus & angoribus quos tulit in morte & paſſione Divini hujus Filii. Unica res fuit, quæ potuit turbare hanc animi ſerenitatem, quod audiret ſe

laudari, eſto ab Angelo, ad quem ſine turbatione attendere non poterat.

At tu plerumque minimo turbaris verbo contumelioſo, quod tibi dicitur; nec quidquam libentiùs cum magno guſtu audis, quàm tuas laudes. Confundere,uſque adeò animum tuum adverſari veræ humilitati, roga humillimam hanc Virginem,ut gratiam tibi impetret eradicandi occultam ſuperbiam & imitandi illud humilitatis exemplum.

II. *Conſidera*, quod Angelus advertens turbari hanc Virginem puriſſimam dixerit illi, *ne timeas O Maria*, Luc 1. v. 30. Nam proprium eſt Spiritui divino ſedare turbationem, & tollere timorem ab animabus noſtris. Hic eſt Character & nota bonæ Inſpirationis, ſi producat pacem animi, & ſingularem in nobis excitet fiduciam in Deum. Econtra inſpirationes malæ & ſuggeſtiones Spiritus reprobi ſemper cauſant inquietudinem quæ cor inquietet, & plerumque adferunt, vel præſumptionem de nobis ipſis,vel diffidentiam de divina miſericordia.

Cave ne ſemper ſequaris affectus tuos & cordis deſideria, nolite inquit Apoſtolus omni ſpiritui credere, 1. Joan. 4. v. 1. ſed probate Spiritus ſi ex Deo ſint. Pete lumen & gratiam ut benè poſſis probare & diſcernere Spiritus.

III. *Conſidera*, quàm dulce verbum aliud adjecerit Angelus,ut placaret Spiritum Virginis, *inveniſti gratiam apud Deum.* Luc. 1. v. 30. O quantum ſanctiſſimæ animæ ſolatium hæc nomine Dei ſecuritas, quod gratiam invenerit coram illo, quodque ſit gratiſſima oculis Divinæ Majeſtatis. Vide quò unicè in hac vita debeas tendere; ſcilicet ut invenias gratiam apud Deum, ut placeas Deo, ut vivas juxta cor Dei. Huc omnes curæ, huc omne ſtudium dirigendum. Quidquid extra hos facis fines aut intendis, vanitas eſt, & afflictio ſpiritûs. ME-

Meditatio pro die Jovis.

Ecce concipies in utero, & paries Filium & vocabis nomen ejus Ieſum, hic erit magnus & Filius Altiſſimi vocabitur, Luc. 1. v. 31.

I. *COnſidera* magnitudinem & excellentiam Divini hujus Filii, quem ſanctiſſima Virgo concipiet & pariet. Angelus ait nomen ejus eſſe JESUM, hoc eſt Salvatorem. Ecce primum titulum honorificum Filii Dei venientis in hunc mundum, qui eidem gratiſſimus; eſto vitam propterea ex magno amore, quo nos amavit, cum ſanguine profuderit.

Adjungit Angelus quod ſit futurus magnus ſine limitatione, magnus ſapientiâ, magnus potentiâ, magnus ſanctitate, magnus miſericordia & charitate, magnus omnibus virtutibus. Denique declarat, eum futurum Regem, cujus Regni non erit finis; ſed fore æternum.

Lauda Deum atque gratias age, quod tibi Regem dederit adeò potentem atque in majeſtate ſua adeò admirabilem. Redde ſupremo huic Principi debitam reverentiam & homagium.

II. *Conſidera,* licet B. V. hæc omnia tam magnifica intellexerit, quod nulla ratione animum propterea extulerit, aut vanè ſibi in illis complacuerit privilegiis, quibus Deus eam voluit condecorare; ſed ſeſe intra limites humilitatis continuerit, & exiguæ de ſe ipſa exiſtimationis, nec quidquam ob votum virginitatis emiſſum determinavit, priuſquàm inſtructa ſit ab Angelo, quomodo fiet iſtud?

Diſce Exemplo Ss. Virginis, eſſe conſtanter humilem & parvum in oculis tuis. Et licet de laudibus

bus tuis ſit ſermo, perſiſte in agnitione tui nihili.

Diſce adhuc ab hac prudente Virgine, nullum negotium magni momenti ſuſcipere, quin prius coram Deo benè conſideraveris & poſtulaveris gratiam illius voluntatem agnoſcendi.

III. *Conſidera*, quomodo Angelus declaraverit modum, quo debeat hoc myſterium compleri. Affirmat perficiendum per Spiritum S. qui ſuper illam veniet atque ita ſine detrimento integritatis eam concepturam & parituram Filium Dei, futuramque ſimul Matrem & Virginem.

Admirare factum ſapientiæ & omnipotentiæ divinæ, quod apparet in hoc myſterio, qui executus eſt intentionem ſuam tam ſuavi modo, omniaque cum ſumma fiducia tam fortiter & ſuaviter diſpoſuit.

Concipe novum propoſitum te cum ſumma fiducia committendi divinæ providentiæ, omniaque cum benedictione ſupra ſpem proceſſura confide.

Meditatio pro die Veneris.

Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum, Luc. 1. v. 38.

I. *Conſidera* excellentes virtutes, quas B. Virgo exercuit hoc ad Angelum reſponſo.

1. Magnam fidem, dum nihil penitùs dubitavit, quæ Angelus nomine Dei eidem expoſuit, nempè Filium Dei æternum futurum hominem, Infantem, quem illa concipiet & pariet eſſe verum Deum, ipſam conceptutam & parituram ſine læſione virginitatis, futuram ſimul & Matrem & Virginem: has omnes veritates credidit, intellectum captivando, atque actum elicuit fidei perfectiorem, quàm ullus

ullus unquam fidelium. Diſce quantâ ſubmiſſione debeas credere veritates, quas Deus per ſuam tibi Eccleſiam proponit, & quanti hoc donum fidei debeas æſtimare. Precare Deum, ut hoc in te lumen augeat, ut tibi pateant omnes illius viæ, atque per illud in omnibus quæ agis, deducaris.

II. *Conſidera* admirabilem humilitatem, quam S. Virgo oſtendit in his verbis. Videbat ſe electam in Matrem Dei ſui Filii, & illa ſe ancillam viliſſimam nominat magis corde quàm ore, æſtimans ſe indignam quæ ſit Mater, ſatiſque ſe honoratam, modò ſit una ex minimis ancillarum.

Sciebat optimè, quod Spiritus S. docuit per os Sapientis, quod quò quis major eſt, hoc ſubmiſſiùs debeat ſe gerere. Eccl. 3. v. 20. Volebat incipere facere, quod poſtea Filius erat docturus, ſcilicet eligendum ſemper locum eſſe inferiorem. Luc. 14. v. 40.

Stude proficere ex hac pulchra lectione, & diſce à Filio & Matre, quomodo debeas exercere humilitatem.

III. *Conſidera* obedientiam perfectam, quam S. Mater per eadem exercuit verba. Namque ſimul atque intellexit ex ore Angeli Dei mandatum & modum executionis, eodem momento, ſine ulla tergiverſatione ſe ſubmiſit voluntati divinæ & obtulit paratam ad executionem ex corde, hoc unum ſpectans, ut ipſius ſanctiſſima voluntas atque adoranda fiat.

Imitare excellentem hanc virtutem, & dic ſæpè cum S. Samuële *Ecce ego*, 1. Reg. 1. v. 5. præſto ſum & paratus ad obediendum, vel cum S. Paulo, *quid me vis facere?* Act. 9. v. 6.

* * * * *

ME-

Meditatio pro die Sabbathi.

Verbum caro factum eſt & habitavit in nobis, Joan. 1. v. 14.

I. *COnſidera*, Eodem quo B. V. conſenſit momento, S. Spiritum formâſſe de puriſſimo ſanguine Corpus perfectiſſimè organizatum, quod anima rationalis animatum unitum fuit perſonæ Verbi divini, & beatiſſima Virgo in honore poſita fuit Matris Dei.

Perpende nonnihil quæ fuerit ſanctæ illius animæ tunc temporis conſtitutio? quanto fuerit ſplendore divinitùs illuſtrata per præſentiam illius, qui eſt lux mundi? quæ gaudia, quas conſolationes ſenſerit in ſuo corde, videns tot jam ſæculis exſpectatum myſterium adimpleri?

Pete radium aliquem hujus luminis, ut agnoſcas magnitudinem & excellentiam hujus myſterii, atque ut idem (quantum tua concedit debilitas) ſit tibi cum Virgine ſenſus.

II. *Conſidera*, quod eodem inſtanti, quo Verbum caro factum eſt, in ſinu Beatiſſimæ Virginis, omnes Angeli & Hierarchiæ cœleſtes in novo hoc ſtatu eidem præſtiterint homagium & ſupremum reddiderint honorem ac perfectam adorationem. Conjunge animi ſenſus Beatis his ſpiritibus, & adora demiſiſſimè Deum-hominem, agnoſce eum ſupremum tuum Dominum & Salvatorem, à quo habes ſubſtantiam & vitam, & à quo ſperas ſalutem æternam. Præſta eidem omni quo potes modo homagium, offer & conſerva ejus te obſequio perfectiſſimè.

III. *Con-*

III. *Conſidera* grande incrementum, quod à completione hujus myſterii accepit natura humana. Etenim per eandem, omnes homines poſſunt fieri Filii Dei, Joan. 1. v. 12. & conſequenter hæredes gloriæ & cohæredes JESU CHRISTI. Rom. 8. v. 17.

Pondera attentè quantus ſit honor & felicitas, agnoſci à Deo pro filio & Deum dulci Patris nomine compellare. Agnoſce quantum ſis obligatus divino Salvatori qui voluit per Incarnationem tuus fieri frater, & quod ſequitur voluit te participem reddere omnium bonorum, atque jus tribuere habendi eandem ſecum Matrem, ex quâ natus eſt. Perpende quantum debeas obſequii huic Matri, quantâ debeas devotione & fiduciâ ad eam confugere.

MEDITATIO PRO QUARTA DOMINICA ADVENTUS.

Parate viam Domini, Luc. 1. v. 4. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* v. 8.

I. CONſidera, quod Eccleſia deſiderans te excitare ad dignam præparationem celebrandi devotè & fructuoſè ſolemnitatem Nativitatis Chriſti, hodiè proponat vocem tibi Præcurſoris, per quam ſuggerit maximè neceſſariam diſpoſitionem ad hunc finem, ut fiant fructus digni pœnitentiæ. Nam ſi velis, ut divinus Salvator naſcatur in te ſpiritualiter per gratiam, oportet aufferre atque eradicare ex corde omnia ipſi ac gratiæ ipſius contraria, & loco operum mortis, quæ patrâſti, debet pœnitentia producere actiones vitæ. Concipe verum deſiderium hujus diſpoſitionis & roga S. Præcurſorem, ut per ſuam interceſſionem tibi obtineat ſingulare ſubſidium

divinæ miſericordiæ producendi fructus dignos pœnitentiæ.

II. *Conſidera*, quinam ſunt præcipuè fructus digni pœnitentiæ, quos ipſa debet in anima tua proferre, hos ſanctus docet Præcurſor, cum ait, omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt prava in directas & aſpera in vias planas. Hoc eſt dicere: oportet ut temet eleves à tua negligentia & puſillanimitate per novum fervorem, ut vanitatem & ſuperbiam tuam per veram humilitatem deprimas, atque ut nitaris complanare & mitigare acerbitatem & aſperitatem tuorum humorum ac paſſionum per exercitium mortificationis & charitatis.

Vide ubi debeas incipere laborare in te ipſo, ut præpares viam Domini & defectus magis noxios emendes per pœnitentiam.

III. *Conſidera*, quantæ maneant gratiæ & ſingulares benedictiones eas animas quæ ſeſe, ut debent, diſponunt, ut benè celebrent Nativitatem divini Salvatoris, quò te magis ad eas diſpoſitiones acquirendas concites. Reges & principes terræ plerumque die ſuo natali ſunt liberaliſſimi; Herodes ſimili die offert miſerabili creaturæ, quæ actum fecerat ſibi placentem, dimidium regnum. Quanto amplius debes jure ſperare à Rege cæleſti ſingulares aliquas gratias pro ſibi conſueta ac magnifica liberalitate, ſi ſtudio ipſi placendi conſtituas te in eo ſtatu, ut digne celebres Nativitatem ipſius.

Examina igitur, denuò quid deſideres facere, ut præpares viam Domini in anima tua, eamque diſponas ad eum recipiendum.

ME-

MEDITATIO PRO DIE LUNÆ.

MARIA abiit in montana cum feſtinatione, in civitatem Iuda, Luc. 1. v. 39.

I. *Conſidera*, quod Filius Dei Incarnatus adhuc in utero ſanctiſſimæ Matris inceperit officium Redemptoris. Ardentiſſima illius in homines charitas non conceſſit illi ulteriorem dilationem. Hinc videns futurum Præcurſorem verſari in miſerabili peccati originalis ſtatu, concluſit abire ut ipſemet eum liberet & per gratiam ſanctificet. Age huic divino Salvatori gratias pro hac miſericordia & charitate in ſuum Præcurſorem exercita; roga ut ſimilem tibi miſericordiam præſtet & citò veniat in ſubſidium, ut liber evadas à tuis imperfectionibus per ſuam gratiam. Dic illi cum Eccleſia: O Redemptor! O Deus! In adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me feſtina. Pſal. 69. v. 2.

II. *Conſidera*, quod Dominus noſter potuerit abſens ſanctificare S. Joannem, abſque eo quod iter ſuſciperet in Nazareth, nihil ominus voluit ut ſancta ſua Mater exercereret humilitatem & charitatem, & ſuam conferret opem in conferenda S. Joanni & Matri ejus gratia.

Diſce duas has virtutes conjungere & exercere cum humilitate miſericordiam & charitatem in proximum.

Agnoſce etiam, quod velut Filius Dei venit per ſanctiſſimam ſuam Matrem ad nos, ſic etiam per illam & ſuam interpoſitionem debeamus venire ad illum. Adi igitur hanc Matrem miſericordiæ, recurre ad thronum gratiæ, ut reperias auxilium & remedium in omnibus neceſſitatibus & miſeriis.

III. *Conſidera* Zelum & fervorem cum quo Beatiſſima hæc Mater cooperata eſt ſuo Filio in ſalute animarum. Quanto affectu & diligentiâ ſe contulerit in viam, conſcendit montana & expoſuit ſe difficultatibus longi itineris, ut ſanctificaretur una anima atque una caperet familia ſolatium. Roga hanc Matrem miſericordiæ, ut impetret tibi ſcintillam cœleſtis ipſius ignis, quem divinus ipſius Filius venit mittere in terram. Luc. 12. v. 4. 9. Concipe ardens in animo deſiderium cooperandi ſaluti animarum per exercitium operum miſericordiæ & charitatis.

Meditatio pro die Martis.

MARIA intravit in domum Zachariæ & ſalutavit Eliſabeth. Luc. 1. v. 40.

I. *Conſidera* quanta fuerit felicitas, quam obtinuit S. Eliſabeth, quando fuit à Dei Matre viſitata. Bona hæc ſancta, nihil minus cogitavit, quàm recipere domum ſuam Meſſiam, & ſanctiſſimam Matrem. Vide quàm contra opinionem præventa fuerit hâc viſitatione, videt Matrem Dei ad ſe intrare & ferre ſalutem pacis ac benedictionis.

Cogita quot habueris Dei viſitationes internas, tunc cum minimè cogitares, quoties gratia te ipſius prævenit, cum non merêre, agnoſce quantum divinæ ſis miſericordiæ obſtrictus & roga gratiam ut benè utaris divinis viſitationibus.

II. *Conſidera*, quod eodem tempore, quo Eliſabeth audit verba ſanctiſſimæ Matris Dei, fuerit repleta Spiritu ſancto, qui eidem communicavit lumen internum & ſupernaturale, ut cognoſceret, quænam eſſet illa, quæ ſibi loqueretur, & quam pretioſum por-

portaret theſaurum in utero ſuo virginali, O quàm hæc viſitatio JESU CHRISTI & ſanctæ Matris differt à viſitationibus mundi, quæ ut plurimum conferunt diſtractiones & perturbationes. Vita igitur pro virili converſationes non neceſſarias cum creaturis; ita te gere, atque ita tua compone, ut dignus reddaris frequenti viſitatione divinâ.

III. *Conſidera*, quod S. Eliſabeth recepto Spiritu ſancto inceperit quamprimum laudare Deum & benedicere electam Dei Matrem dicens: benedicta tu in mulieribus & benedictus fructus ventris tui, unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me?

Ecce quid te oporteat facere, quando recepiſti gratiam Dei aliquam, oportet benedicere Authori illius, eumque apertè confiteri, quando honor & gloria illius requirit, & teſtari eum fervorem & agnitionem gratiis conceſſis fideliter cooperando. An ita feciſti? Quot gratias in vanum accepiſti abſque ulla gratiarum actione & reddito obſequio?

Meditatio pro die Mercurii.

Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum. Luc. 1. v. 46. & 47.

I. *COnſidera* B. V. auditâ ſuâ ab Eliſabetha laude eidem non reſpondiſſe; ſed elevata in Deum mente omne encomium retuliſſe in divinam Majeſtatem, eamque ſolum authorem agnoviſſe & fuiſſe confeſſam, eidem omnia abſcribendo.

Ecce quid faciendum tibi cum coram laudaris, deriva aliò diſcurſum, aut potiùs redde ex imo pectore laudem Deo & dic eidem cum Propheta: non nobis Domine non nobis; ſed nomini tuo da gloriam. Pſal. 113. v. 8. Huc unicè ſpectare debes, ut

in omnibus occaſionibus Deus magnificetur, laudetur & gloria tribuatur eidem.

II. *Conſidera*, quantâ devotione & fervore ſanctiſſima Dei Mater pronunciaverit hoc admirabile Dei canticum, quod in Evangelio relatum eſt, in quo ſingula verba ſunt velut flamma amoris de ipſius corde procedens.

Et tu quomodo decantas laudes Dei, quo ſpiritu recitas Pſalmos, hymnos & cantica Eccleſiæ? quot diſtractiones, quod tepores, quot imperfectiones reperiuntur in obſequiis religionis, quæ reddis Deo? Confundere & dole te tam parum affici ad laudes divinas. Ora Matrem Dei, ut tibi obtineat gratiam devotionis & in precibus fervorem.

III. *Conſidera*, quot benedictiones fuerint effuſæ ſuper domum Zachariæ ſpatio trium menſium, quibus B. V. ibidem morata fuit. Quales gratiæ communicatæ S. Joanni ante nativitatem. Quanta ſolatia habuerit optimus Patriarcha Zacharias, videns Matrem Dei tanto ſecum tempore commorari. Quantum hauſerit fructum S. Eliſabeth, ex colloquiis tam piis cum amantiſſima & honoratiſſima ſua cognata, quæ velut arca myſtica cauſabat pacem, abundantiam, felicitatem, omnis generis benedictiones, & gratias, eo in loco, quem incolebat.

Exopta aliquam tibi partem iſtarum benedictionum & gratiarum, concipe propterea novum in corde amorem, atque devotionem erga hanc miſericordiæ Matrem, & roga, ut faciat te ſentire aliquem ſuæ charitatis effectum.

ME-

MEDITATIO PRO DIE JOVIS.

Ioſeph autem vir ejus, cum eſſet juſtus & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Matth 1. v. 19.

I. *COnſidera*, Quomodo B. V. reverſa de itinere, quod in Judæam ſuſceperat, ut viſitaret S. Eliſabeth cognatam ſuam, in civitatem Nazareth, ubi ordinariè habitabat, inceperit apparere prægnans, quod cum ipſius ſponſus S. Joſeph advertit, neſcius præcedentis myſterii, hæſit omnino perplexus,concepitque ingentem animo dolorem, quem magnam partem innocens Virgo cauſavit.

Ita Deus exercet illos quos amat,ut eos magis magiſque perficiat, offeratque occaſionem excellentes exercendi virtutes, unde ſentire afflictionem atque adverſitatem tantum abeſt ut ſit ſignum diſgratiæ,ut potius ſit argumentum amoris, *Quia acceptus eras Deo*, inquit Angelus Tobiæ, *neceſſè fuit ut tentatio probaret te.* Tob. c. 12. v. 13.

Exerce actum fidei ſuper hac veritate & bene cordi tuo imprime,ut cum fructu toleres afflictiones, quas placebit Deo immittere.

II. *Conſidera*, quomodo S. Joſeph,qui velut Evangelium ait,erat homo juſtus, ſe geſſerit in hoc acerbo caſu, dolorem internum, qui cor illius premebat, tulit patienter, nulli conqueſtus eſt, nullum formavit judicium in præjudicium ſponſæ ſuæ, nullum iracundiæ motum admiſit, ſed omni in dulcedine & charitate, admirabili prudentiâ ſtatuit occultè ſecedere & relinquere cuncta judicio Dei & divinæ providentiæ diſpoſitioni.

Cape Exemplum ab hoc magno Sancto,ne ſis præ-

ceps in condemnando proximo, ſed ſemper in quocunque caſu age cum illo prudenter, & cum charitate.

III. *Conſidera*, Eximias virtutes quas hâc occaſione S. Virgo exercuit, præſertim profundiſſimam humilitatem, occultans ſilentii velo omnes excellentes gratias & privilegia, à Deo accepta, bono tolerans animo dolorem, & humiliationem quam capiebat ex dubio & ſuſpicione Sancti Joſephi ſuî causâ, perfectam reſignationem, committens ſuum honorem, ſuam vitam, aliaque quæ potiſſimùm amabat, in manus Dei, ut pro libitu diſponat.

Cape Exemplum ab hac ſanctiſſima Dei Matre, qualem te geras in hujus generis occaſionibus, & quomodo debeas exercere humiliationem, ſilentium, atque in manus Dei reſignationem.

MEDITATIO PRO DIE VENERIS.

Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ei dicens: Ioſeph fili David noli timere accipere MARIAM conjugem tuam. Matth. 1. v. 9.

I. CONſidera, quomodo S. Joſepho, qui in hoc dolore conſtitutus & paratus erat Virginem deſerere, miſſus ſit Angelus à Deo ad declarandum Incarnationis Verbi Divini myſterium & electionem ſponſæ ſuæ à Deo factam in Matrem Filii ſui.

O quàm bonum eſt ponere in Deo fiduciam, qui nunquam deſerit ſuos, ſed poſtquam in patientia exercuit, offert illis guſtandam divinæ conſolationis ſuæ dulcedinem. Quod tu haud dubiè experieris, modò non ponas obſtaculum divinæ de te diſpoſitioni & confidens paternæ ipſius providentiæ

te conformes in omnibus ſanctiſſimæ illius voluntati.

II. *Conſidera*, quanto ſit gaudio delibutus S. Joſeph, quando novum adeò optatum accepit nuncium, quantas Deo egerit gratias completum eſſe hoc myſterium tot ſeculis expetitum. Quàm ſe felicem & honoratum exiſtimaverit, ſuam ſponſam in Matrem Meſſiæ eſſe electam, quantâ devotione ſeſe obtulerit ad omnia obſequia tam Patri, quàm Matri præſtanda!

Fac ſimilia cum hoc Sancto propoſita, & diſce lætari non vanâ proſperitate & favore mundi, ſed gratia & miſericordiâ, quam Deus vel tibi vel proximis præſtat. Adora Verbum Incarnatum in utero Virginis velut digniſſimo, quod unquam dedicatum eidem fuit, templo. Offer te utrique ad omnia quæ iis grata eſſe cognoveris ſervitia.

III. *Conſidera*, quomodo ſeſe S. Joſeph geſſerit erga ſanctiſſimam ſponſam, poſtquam cognovit grandia myſteria; quæ Deus operatus eſt in illa. Quanti æſtimaverit & veneratus ſit ipſius virtutem, quantam eidem præſtiterit reverentiam & honorem. Omni illam ſervitio proſequebatur. Viciſſim, ô quanta ille lumina, quantas gratias, quanta ſolatia recipiebat! Roga hunc magnum Sanctum, ut tibi impetret veram & perfectam devotionem erga ſanctiſſimam hanc Dei Matrem, & ut imiteris virtutes, quas illa exercuit in hac ſancta ſocietate.

* * * *
* * *
* *
*

Meditatio pro Vigilia Nativitatis.

Aſcendit autem & Ioſeph à Galilæa de civitate Nazareth in Iudæam civitatem David. Luc. 2. v. 4. *cum MARIA deſponſata ſibi uxore prægnante.* v. 5.

I. *Conſidera*, admirabilem divinæ providentiæ modũ. Prædixit Deus per ſuos Prophetas Meſſiam naſciturum in Bethlehem, ut hæc Prophetia adimpleatur, utitur occaſione acceptâ ab edicto Imperatoris Auguſti, cui ut obtemperarent S. Joſeph & S. Virgo, profecti ſunt in Bethlehem.

O quantum diſtant cogitationes Regis Cœlorum & Imperatoris terrarum, nam nihil aliud meditabatur, quàm ſatisfacere ſuæ ambitioni atque aviditati. Divinus Meſſias ſtudebat exercere humilitatem, paupertatem, & contemptum vanitatum hujus mundi. cui te deſideras conformare?

II. *Conſidera*, quanta ſubmiſſione & humilitate Sancta Virgo & S. Joſeph ſuſceperint iter ut obedirent edicto, quantâ patientiâ & dulcedine ſpiritûs pertulerint incommoda longæ viæ, tempore duro & aſpero ſinè ulla querela, nec ullo impatientiæ verbo, vel hunc Imperatoris idololatræ procedendi modum, vel officialium violentiam arguendo.

Cape exemplum, quantâ ſubmiſſione & humilitate debeas obedire ſuperioribus ſpiritualibus & temporalibus, quo animo debeas ſuſtinere difficultates in executione mandatorum aut eorum adimpletione, quæ Deus à te flagitat occurrentes, ſi quid tibi animi eſt, ſi quid amoris in hac re, oſtende.

III. *Con-*

III. *Conſidera*, qualis fuerit Virginis in Bethlehem adventus, ubi invenit tantum hominum concurſum, atque omnia loca ita completa, ut coacta fuerit cum S. Joſepho extra muros urbis ſe recipere in Cavernam, in quam ſubinde adigebantur beſtiæ, ut ab aëris injuria immunes forent. Hic conſtituta Virgo agnovit hunc eſſe locum quem Filius Dei pro ſuo in hunc mundum ingreſſu elegiſſet, & ſentiens appropinquare horam partûs, dedit ſeſe precibus, adorans divinæ miſericordiæ ordinem, cui animitùs ſubjecta, exoptavit videre naſciturum ex ſe Redemptorem.

Concipe pares cum ſanctiſſima hac Virgine affectus, collige nonnihil animum ab operoſis mundi negotiis, intra ſolitudinem cordis, & diſpone mentem, ut videas oculis fidei naſcentem atque in hunc mundum venientem Meſſiam, ut ſalvetur mundus per ipſum.

MEDITATIO PRO FESTO Nativitatis Domini noſtri.

Factum eſt autem cum eſſent ibi, impleti ſunt dies ut pariat, & peperit filium ſuum primogenitum. Luc. 2. v. 6.

I. *Conſidera*, quomodo, cum hora tam diu exſpectata adveniſſet denique, in qua Salvator mundi debebat naſci, & B. V. ſenſiſſet advenire horam partûs non ob tormina vel dolores; ſed potiùs per conſolationes magnas cœleſtes, quæ cor complebant, recepit ſeſe in angulum cavernæ in quo agebatur morari nullo alio ſpatio reperto, ibidem precibus intenta, Egreſſus eſt Virginali utero Divi-

nus Infans, velut radius ſolis ſinè ruptura tranſit cryſtallum. Quis affectus Virginis vel cogitando comprehendat,cum ante oculos ſuos beatiſſima Mater Divinum conſpexit Infantem? quis humilitatem, quâ adoravit? quis amorem,quo eum eſt amplexa & exoſculata? quis denique omnis generis ſervitia, quæ eidem tribuit?

Conjunge affectus tuos cum affectibus incomparabilis hujus Virginis & Matris, & profundiſſimo reſpectu adora Filium Dei natum, atque in hunc mundum venientem; ut te ſalvum reddat, præſta eidem de omnibus quæ poſſides animitùs homagium,& ante omnia offer tuum illi cor, & proteſtare eidem,quod eum ſis ſuper omnia amaturus in tempore & æternitate.

II. *Conſidera*, diverſas hujus Nativitatis Filii Dei circumſtantias. Primò, quoad locum, hic eſt caverna, quæ pro diverſirio ſerviebat beſtiis. O quanta humilitas! quantum ad apparatum, erat panniculis miſeris obvolutus lineis faſciis, candidis tamen & bene præparatis, Quantus amor paupertatis! quantum ad tempus, erat obſcura nox. O noctem claram & ſerenam quæ tali ſole illuminabatur. O Verbum Divinum immitte in animam meam unum de radiis tuis, ut illuminentur tenebræ meæ, & oſtendat faciatque me cognoſcore inæſtimabiles theſauros tuæ humilitatis & paupertatis, excita me ut per harum duarum virtutum exercitium te honorem.

III. *Conſidera*, quis fuerit animus S. Joſephi, qui inter omnes ſanctos ſolus hanc habuit felicem ſortem,ut eſſet præſens cum ſanctiſſima ſponſa, quando voluit mundum intrare Dei Filius, & præſertim quanta & quàm perfecta ipſius fuerit fides de hoc myſterio, quanta devotione proſecutus ſit divinum hunc

hunc Infantem? quæ detulerit religioſa obſequia? quantas reddiderit nomine humani generis gratiarum actiones?

Imitare magnum hunc Sanctum, contemplare myſterium fide vivâ atque animatâ ferventi devotione, & conare aliquo modo ſupplere defectum creaturarum ingratarum, nec agnoſcentium quis venerit in mundum, nec gratias agentium Filio Dei, quod voluerit naſci pro illorum ſalute.

MEDITATIO PRO FESTO S. STEPHANI.

Reclinavit eum in præſepio, quia non erat ejus locus in diverſorio. Luc. 2. v. 7.

I. VIſita etiam hodie ſacrum locum, in quo Salvator mundi voluit naſci, & conſidera, quod ſit locus ſeparatus extra muros Bethlemiticos procul à tumultu & ſtrepitu Urbano, locus ſilentii & pacis, quem Deus omnibus aliis locis præpoſuit, ut ſerviret pro primo ſui Filii receſſu.

Deſideraſne ut Divinus hic Servator naſcatur ſpiritualiter in tua anima, & incipiat vivere in te per ſuam gratiam? conare ſimiles conquirere diſpoſitiones, ſcilicet recollectionem in intellectu, pacem & tranquillitatem in corde, & quietem omnium potentiarum interiorum tuæ animæ.

II. *Conſidera* iterum, locum eundem eſſe locum mortificationis & patientiæ, dura inquam rupes, quæ undique profert aſperitatem, in qua nullus ſenſus poteſt quieſcere.

Perpende quantâ patientiâ & dulcedine ſpiritûs Divinus hic Infans perferat omnes incommoditates cum ſanctiſſima Matre, quæ in ſuo puerperio Vir-

gi-

ginali alium non habuit lectum quàm duram petram.

Eſt hoc velut augurium eorum,quæ accident illuſtribus membris corporis myſtici hujus Divini Servatoris, præſertim illius, cujus hodiè feſtum celebrat Eccleſia, qui poſtquam pro ſuis perſecutoribus oravit, obdormivit in Domino. Act. 7. v. 5. 9. Velut loquitur Scriptura, ſed lectus fuit admodum aſper in medio lapidum & ſilicum.

Ecce quâ conditione habendus ſis pro membro Filii Dei, non eſt hæc, ut tuas quæras commoditates & gaudia mundi pro beneplacito; ſed ut portes tuam crucem, & ſequaris per labores & per moleſtias. Recordare illius Apoſtolici dicti: *omnes qui volunt piè vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur.* 2. Tim. 3. v. 12.

III. *Conſidera*, quantus fuerit animus & zelus in S. Stephano, qui omnium Sanctorum primus Martyr pro confeſſione Chriſti vitam expoſuit, & primum perſecutionis impetum invincibili conſtantiâ & charitate ſuſtinuit. Quantùm jure erubeſcis, dum hodie cernis beatum hunc Martyrem tantis gloriæ radiis circumdatum, quos promeritus eſt ob plagas à lapidibus inflictas pro defenſione veritatis: Et tu renuis minimam pati incommoditatem ſine gemitu, non quæris, niſi ut ubicunque, & undecunque tibi ſit benè, ſi pro divino obſequio vel minima ſuperanda eſt moleſtia, quantum oſtendis impatientiæ?

Roga magnum hunc Sanctum, ut exiguam tibi ſcintillam impetret gratiæ divinæ, quæ ipſius inflammavit pectus, ut poſſis ejus patientiam, magnitudinem, magnanimitatem, & charitatem imitari.

ME-

MEDITATIO PRO FESTO S. Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ.

Et paſtores erant in regione eadem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum, & ecce Angelus Domini ſtetit juxta illos & claritas Dei circumfulſit illos, & dixit illis Angelus: nolite timere, ecce enim Evangelizo vobis gaudium magnum. Luc. 2. v. 8. 9. 10.

I. *Conſidera*, felicitatem horum pauperum paſtorum, quibus Deus dignatur unum Angelorum mittere, ut annunciaret novam & felicem Filii ſui Nativitatem. Admirare charitatem hujus Spiritûs cœleſtis, qui poſtquam timore perculſos animavit, velut familiari catechiſmo eoſdem, myſterio Incarnationis Divini Verbi, ejuſque Nativitate in Bethlehem inſtruxit.

Perpende quanta attentione & docilitate attenderint ad divinam hanc lectionem, & quanto ſint gaudio affecti audientes hæc felicia nova, & videntes tantam Dei erga ſe bonitatem. Reverere, agnoſce & ama beatos hos Spiritus, qui tantopere adamant homines.

Diſce non contemnere pauperes, cum Deus ſingulariter illos amet. Habe tu quoque veram in eos charitatem, atque eam omni quo potes modo exerce. Præſertim autem vel doce, vel fac ut doceantur myſteria ſalutem eorum concernentia.

II. *Conſidera*, admirabilem divinæ providentiæ rationem in diſtribuendis gratiis, erant Bethlehemii, aut aliis in Judeæ urbibus plures Sacerdotes & Docto-

Doctores, erant Magnates, ſenatores & alii dignitate conſpicui: ſed Deus pauperes elegit paſtores, ut iis præ aliis revelaret myſterium Nativitatis Filii ſui. Plane ſicut poſtea divina hæc progenies excluſis prudentibus & ſapientibus mundi, elegit piſcatores, ut iis crederet prædicationem ſui Evangelii, & Apoſtolos ſuos conſtitueret, ſuper omnes autem elevavit S. Joannem & ſublimiori divinitatis ſuæ cognitione illuſtravit.

O Abyſſum admirabilem judiciorum Dei! O quantùm inferior eſt capacitas mentis noſtræ viis incomprehenſibilibus ipſius. Humilia te, dum hæc conſideras, & adora cum reverentia hæc divinæ ſapientiæ judicia: ſubmitte intellectum, tuamque voluntatem, & fatere Deum bene facere omnia.

III. *Conſidera*, gratias & favores ſingulares, quas à Domino noſtro accepit S. Joannes; ſed ante omnia morare diutius in hoc, quod narrat in Evangelio, ubi dicit ſe eſſe diſcipulum *quem diligebat JESUS*! Joan. 21. v. 20. O quanta felicitas amari à JESU!

Heu Domine, *quid eſt homo*, *quod memor es ejus*, Pſal. 8. v. 5. ſed quid potes comperire in illo, quod dignum ſit iſto inæſtimabili favore, qui eſt à te amari? Et interea quanta confuſio, tam ſollicitè quærere hominem, & tot conſumi curis, ut ametur à creaturis iiſque placeat & tam parum curare vilipendi à Deo. Pete à felici hoc Apoſtolo, ut tibi obtineat lumen àc gratiam benè agnoſcendi, quid ſit diligi à JESU, ut omnibus aliis creaturarum amoribus hunc amorem longiſſimè anteferas.

* * *

ME-

Meditatio pro Festo Ss. Innocentum.

Et hoc vobis ſignum: Invenietis infantem pannis involutum & poſitum in præſepio. Luc. 2. v. 12.

I. Conſidera, qualia ſunt ſigna, quæ Angelus dat paſtoribus, ut cognoſcant Filium Dei recenter natum. Mundi arbitrio ſunt ſigna indigentiæ & debilitatis; ſed ſecundùm maximas divinæ ſapientiæ ſunt ſigna amoris & miſericordiæ; nequaquam ex defectu potentiæ; ſed exceſſu charitatis, quæ eum ad pauperem hunc & contemptibilem reduxit ſtatum. Neque hic Angelus potuit clariora & aptiora dare ſigna, ut paſtores fide illuminati agnoſcerent hunc infantem recenter natum, eſſe Deum Redemptorem.

Reflecte te nonnihil ſuper te ipſum & inquire an hæc habeas ſigna & portes hunc colorem gentilitium CHRISTI JESU, & an verè deſideres te demittere, totoque corde complecti abjectionem & contemptum ex amore hujus Divini Salvatoris.

II. *Conſidera*, & pondera accuratè verba Divinæ ſapientiæ, *Niſi converſi fueritis & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Matth. 18. v. 3. & ſimul reflexis ad Divinum hunc Infantem jacentem in præſepio oculis, attende ad hanc veritatem. *Quicunque ſe humiliaverit ſicut parvulus iſte, hic eſt major in regno cœlorum.* Matth. 18. v. 4.

Applica tibi hæc verba, & roga beatos Innocentes, quorum Eccleſia hodie Feſtum agit, ut tibi lumen impetrent, ut benè intelligas, & gratiam ut acqui-

ras humilitatem,ſimplicitatem, docilitatem, innocentiam verorum Filiorum JESU CHRISTI.

III. *Conſidera*, felicitatem parvulorum Innocentum, qui ſunt rapti & ſublati de hoc mundo ſingulari Dei providentiâ, antequam ſenſerint miſerias, & cognoverint malitiam,per quam poterant perverti.

Age Deo gratias pro gratia, quâ illos prævenit, & honore quem illis præſtitit, ut ſint Martyres JESU CHRISTI, antequam capaces eſſent eum cognoſcendi. Implora ſubſidium per interceſſionem illorum, ut placeat Divinæ Majeſtati te præſervare ab omnibus occaſionibus, quæ te poſſunt abducere à ſemitis innocentiæ & virtutum.

MEDITATIO PRO 29mo aut 30mo DIE DECEMBRIS.

Paſtores loquebantur ad invicem: tranſeamus uſque Bethlehem,& videamus hoc verbum quod factum eſt, quod Dominus oſtendit nobis. Luc. 2. v. 15.

I. *COnſidera*, quod poſtquam paſtores ita edocti fuêre ab Angelis,non tradiderint hanc inſtructionem oblivioni, nec neglexerint; ſed ſine ſocordiâ eadem horâ proparârint in Bethlehem, ut ſua præſtarent obſequia Divino Meſſiæ recenter nato. Et tu quomodo recepiſti hactenus inſpirationes & bonos motus, quos Deus tibi dedit? Quomodo iis es cooperatus, quoties ſine fructu per oblivionem permiſiſti tranſire ex pura oſcitantia, & licet eorum fueris memor, quoties neglexiſti exequi, quoties diſtuliſti ut cauſam invenires aliquam tecum diſpenſandi in hoc quod Deus à te petebat.

Hu-

Humilia te & roga Angelum tuum Cuſtodem, qui tibi ordinariè adfert mandata cœleſtia, ut impetret tibi defectuum omnium veniam,& gratiam in eos non relabendi.

II. *Conſidera*, quanta reverentia hi boni paſtores ſpecum Bethlehemiticum intrârint, & quomodo ſimul atque Infantem JESUM adverterunt, in terram ſe proſtraverint & tanquam Deum ſuumque Redemptorem adoraverint: nec obliti ſint reddere ſua obſequia ſanctiſſimæ Matri: detinuerint deindè ſeſe cum ingenti devotionis ſenſu, dum non poterant ſatiari in aſpiciendo & admirando faciem omnino amabilem Divini hujus Infantis.

Cape exemplum quantâ reverentiâ & devotione debeas intrare & conſiſtere in Eccleſia ubi Idem JESUS eſt verè & realiter in ſanctiſſimo Sacramento, quantâ humilitate à te ſit adorandus preceſque eidem offerendæ. Vide quomodo hactenus te geſſeris, & deinceps te gerere velis?

III. *Conſidera*,quomodo paſtores poſt præſtita Divino Infanti obſequia reverſi ſint ad ſuos labores & ordinaria negotia, laudando & glorificando Deum in omnibus quæ viderant & cognoverant. Neque his contenti fuêre; ſed vera charitate animati expoſuerunt omnia hæc vicinis & omnibus obviis, ut ejuſdem redderent gratiæ participes & invitarent ad laudandum ſecum & glorificandum Deum.

Ecce pulchrum exemplum, quid te oporteat facere,dum pergis vel ad Eccleſiam, vel ad orationem, cumque novam obtinuiſti gratiam, oportet ut eam applices negotiis pro tua conditione, ingenti deſiderio laudandi & glorificandi Deum, per bonum uſum gratiarum, & ſuper hæc oblatâ occaſione reddendi participes proximos tuos, alloquendo eos

verbis ad ædificationem ſpectantibus & invitando bono exemplo ad eamdem laudem gloriamque Deo reddendam.

MEDITATIO PRO DOMINICA infra octavam Nativitatis, aut pro die quo Eccleſia celebrat Officium de hac Dominica.

Et erat Pater ejus & Mater mirantes ſuper his, quæ dicebantur de illo Luc. 2. v. 33.

I. *COnſidera*, quod Evangelium hujus diei nobis loquatur de S. Virgine & S. Joſepho quando erant in templo, non ait eos admiratos magnificam ſtructuram, vel ornamenta & divitias hujus templi, nec ſuperbum Herodis palatium, nec ulla alia, quæ mundus demiratur; ſed quod unicum admirationes objectum fuerit Infans JESUS.

O quàm verò congruit animam, quæ verè cognovit & guſtavit Deum, nihil invenire in hoc mundo vel admiratione dignum, vel æſtimatione. Poteſt illa cum ſancto Paulo dicere ſe magnifica omnia & theſauros terræ in comparatione cum JESU arbitrari ut ſtercora. Ad Phil. 3. v. 8. Examina te, num idem cum S. ſentias Apoſtolo, & quis tibi ſit animus in divinum Infantem JESUM?

II. *Conſidera*, admirationem ſanctiſſimæ Virginis & digniſſimi ſui ſponſi proveniſſe, quod continuò attenderent ad perfectiones in hoc Infante latentes, quem qui ſolùm oculis corporis aſpiciebat, nihil videbat extraordinarii, at qui illum conſiderabat velut ſanctiſſima ſua Mater & S. Joſeph oculis animæ lumine fidei illuſtratis, deprehendebat omnes theſauros ſapientiæ Divinæ in eo abſconditos. Ad Coloſſ. 2. v. 3. Ap-

Applica te igitur ad conſiderandum attentâ meditatione, quod te fides docet de Divino hoc Infante, atque ad imitationem ſanctiſſimæ Virginis conſerva in corde tuo & confer tecum ipſo omnes inſignes veritates in Evangelio eſſe contentas, ut exciteris ad ſanctam admirationem magnitudinis illius.

III. *Conſidera*, ſanctam Virginem & ſanctum Joſephum non ſubſtitiſſe in ſola ſimplici admiratione hujus Divini Infantis; ſed per hanc admirationem ſeſe excitâſſe ad excelſam æſtimationem magnitudinis & perfectum amorem bonitatis illius. Omne eorum negotium erat eum honorare, amare, & ſervire eidem.

Ecce fructum, quem elicere debes ex cognitione, quam habes per fidem de excellentia & perfectione hujus Divini Infantis. Non ſufficit meditari & admirari; oportet inde concipere ſanctos affectus, & ſolida propoſita ſe totum eidem donandi, & præſtandi omnem honorem, amorem atque obſequium, quæ eidem debentur.

MEDITATIO PRO ULTIMO DIE ANNI.

Ecce poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſraël, & in ſignum cui contradicetur. Luc. 2. v. 34.

I. *COnſidera* adorandam atque extimeſcendam judiciorum Dei in hoc Incarnationis myſterio abyſſum, quis poſſet credere niſi ipſe S. Spiritus declarâſſet, quod Divinus hic Infans qui nihil ſpirat, niſi dulcedinem & amorem noſtrî, qui nihil deſiderat, niſi ſalutem noſtram & æternam felicitatem, & qui in mundum venit ut nobis hæc procu-

ret, ſit nihilominus occaſio ruinæ plurium, quibus ſervit pro petra ſcandali, item quod ille ſit *lapis ille angularis ſuper quem qui ceciderit, confringetur, ſuper quem vero ceciderit, conteret eum.* Matth. 21. v. 44. Verbo quod plures magnæ gratiæ & favores magis ſpeciales ſint ſæpe cauſæ majoris condemnationis illis, qui fide, velut debent, non utuntur.

Quis hanc veritatem conſiderans auſit gloriari & ſe æſtimare ob dona gratiaſque acceptas à Deo: qui non operetur ſuam ſalutem (velut Sanctus Apoſtolus ait ad Phil. 2. v. 12.) *cum metu & tremore,* collocans omnem ſpem ſuam non in talentis, aut virtutibus, aut operibus; ſed in ſola miſericordia & bonitate Dei.

II. *Conſidera*, quinam ſint, quibus Chriſtus ſervit pro petra ſcandali & occaſione ruinæ. Hi ſunt præcipuè illi, qui ingens ingenium nacti ſunt aut doctrinam, & nolunt captivare intellectum in obſequium fidei de JESU CHRISTO, nec ſe ſubmittere nec acquieſcere veritatibus nomine ipſius propoſitis; velut ſimiliter & illi, qui ſingulari fidei lumine illuſtrati delibârunt veritates & principia Evangelii JESU CHRISTI, attamen voluntariè permittunt ſe obcæcari à vanitatibus & veſania mundi.

Sunt etiam illi, qui per plura illicia bonitatis Divinæ præventi & excitati, ut ſemel avellant à ſtatu peccati, aut magis notabili imperfectione, & progrediantur in virtute, reſiſtunt gratiis & ſuffocant lumina motuſque pios, ut majore libertate illecebras ſuarum ſequantur concupiſcentiarum.

Cave ne ex horum miſerabilium ſis numero, & ne abuſus gratiis, quæ tantò ſteterunt Chriſto, pœnâ te reddas dignum ſeveriore.

III. *Conſidera*, quinam ſint quibus Divinus Sal-

va-

vator cauſat reſurrectionem & vitam. Nimirum illi, qui agnoſcentes cum humilitate & cordis contritione ſuos defectus, recurrunt ad thronum gratiæ, & faciunt fructus dignos pœnitentiæ, evitantes ſollicitè omnes occaſiones Deo diſplicendi, reluctantes generosè Diaboli tentationibus, mortificantes ſuas paſſiones & inordinatas inclinationes, præſtantes denique fideliter ac conſtanter omne quod oculis Divinæ ſuæ Majeſtatis eſt acceptum. Roga Chriſtum ut hoc te dignum reddat numero, & condonatis omnibus erroribus hoc anno contra bonitatem ejus commiſſis, donet ſuam tibi gratiam, interiora tua renovandi, novam vitam conſequendi in principio illius anni, quem mox ingredieris, ut illum inſumas fideliter in Divino obſequio.

MEDITATIO PRO FESTO Circumciſionis, qui eſt primus anni dies.

Poſtquam conſummati ſunt dies octo ut circumcideretur puer. Luc. 2. v. 21.

I. *Conſidera*, amoris Filii Dei recenter nati in homines exceſſum. Namque licet nulla fuerit ratione obligatus legi circumciſionis, voluit nihilominus circumcidi & pati acutum hunc dolorem, ut ſuum nobis amorem teſtaretur, incipiens in tam tenera ætate profundere ſuum ſanguinem pro noſtris peccatis. Videtur Divinus hic Infans jam tum habuiſſe in mente verba quæ poſtmodum protulit, *baptiſmo habeo baptizari & quomodo coarctor uſque dum perficiatur.* Luc. 12. v. 50. Age amantiſſimo Salvatori gratias pro tali amore, quem tibi in hoc

eſt myſterio conteſtatus. Confundere tam parum à te illum redamari, atque eſſe te adeò remiſſum, cum quid moleſtiæ in ejus ſervitio occurrit tolerandum.

II. *Conſidera* humilitatem, quam Filius Dei oſtendit in hoc myſterio, quæ hoc eſt major, quo per circumciſionem ſe collocavit in humiliore loco, & in ſtatum, omnium qui poteſt eſſe, abjectiſſimum, qualis eſt *peccatoris*, nam circumciſio fuit inſtituta pro aliquali remedio peccati originalis, dum igitur Filius Dei voluit circumcidi, voluit conſequenter apparere & æſtimari *peccator*, quæ eſt humilitas admirabilis in Perſona Dei, qui cum ſit Sanctus Sanctorum dignatus eſt ſe ponere in ordine *peccatorum*.

Interim qui verè peccatores ſunt, nolunt tales haberi, & ſæpe deſiderant ut putentur virtute prædıti.

Cave ne in eorum ſis catalogo. Cape exemplum in Deo humiliato, quomodo debeas te humiliare.

III. *Conſidera*, quis fuerit ſenſus ſanctiſſimæ Virginis dum circumcideretur Divinus ſuus Filius? Non eſt dubium quin ſectio in hoc myſterio facta inflixerit plagam ſenſibilem cordi ipſius & tacta ſit dolore ingenti, videns tam citò pati chariſſimum hunc Filium; miſcuerit illa lachrymas ſanguini de vulnere decurrenti, ſemper tamen Divinæ ſe ſubmiſit ordinationibus voluntatis.

Cape exemplum compatiendi afflictis & patientibus proximis, qui ſunt membra Divini hujus Salvatoris, ita ut hæc compaſſio te moveat ad eos conſolandos, & ferenda ſolatia, ac pro virili, obſequia.

Diſce te conformare voluntati Divinæ in omnibus, quæ vel tibi vel tuis chariſſimis afflictiones & dolores cauſant.

ME-

MEDITATIO PRO SECUNDO DIE JANUARII.

Vt Circumcideretur puer. Luc. 2. v. 21.

I. *COnſidera*, quod in circumciſione Filius Dei voluerit offerre primitias ſui ſanguinis æterno Patri, velut initium magni illius ſacrificii, quod erat perfecturus ſuper altari crucis ubi deſiderat effundere uſque ad ultimam guttam hunc ſanguinem pro tuis & totius mundi peccatis.

Perpende quos hinc debeas concipere affectus, quas gratiarum actiones reddere Divino Salvatori pro tam admirabili charitate: Quali & fide & charitate debeas tibi applicare hæc verba Apoſtoli & dicere, *qui dilexit me & tradidit ſemetipſum pro me*, Ad Gal. 2. v. 20.

II. *Conſidera*, & pondera attentè magnitudinem exceſſûs, quem fecit Divinus ſalutis author in morte effundendo ſanguinem ſuum pro ſalute hominum. Agnoſcebat clarè quàm parum agnituri, & quàm parvi æſtimaturi eſſent homines tantam charitatem, videbat contemptum, ingratitudinem imò & blaſphemias contra ſuam bonitatem effundendas: Videbat exiguum fructum, quem eſſet productura in maxima hominum parte, hæc tam pretioſi effuſio ſanguinis, ob malam illorum diſpoſitionem: Sciebat pro te unicam hujus ſacri ſanguinis guttam eſſe ſuperabundantem pro redimendo toto mundo; ſed non ſuffiiebat amori incomparabili, quem erga nos gerebat, oportebat aperire omnes omnino venas & facere de ſuo ſanguine velut diluvium amoris & charitatis.

Adora hunc ſanguinem pretioſum, qui oblatus eſt in ſacrificio pro tua ſalute. Recordare eſſe ſanguinem Dei,& cave,ne fruſtra ſit effuſus pro te. Applica tibi frequenter ejus virtutem per vivam fidem, ſpem perfectam, & ardentem charitatem.

III. *Conſidera*, quid hic ſanguis tui Divini Salvatoris dicat. Nam ſi ſanguis Abel habuit vocem clamantem de terra, Gen. 4. v. 10. ut hic clamor provenerit uſquè ad cœlum, ne cogita ſanguinem Dei Filii eſſe mutum, quia omnes guttæ hujus ſanguinis effuſi, ſunt totidem ora, per quæ loquitur ſuo Patri & orat non vindictam, ſicut ille Abelis ſed veniam & miſericordiam.

Perpende quod hic ſanguis audiatur ſingulis diebus tempore Miſſæ ſuper altari,in quo eſt myſticè effuſus & oblatus in ſacrificium. Vide quali devotione debeas illi aſſiſtere, & conjungere affectus tui cordis cum voce ſanguinis JESU CHRISTI.

MEDITATIO PRO TERTIO DIE JANUARII.

Vocatum eſt nomen ejus IESVS. Luc. 2. v.21.

I. CONſidera, quod ſactum nomen JESUS impoſitum ſit Filio Dei Incarnato per Patrem ſuum cœleſtem, qui ipſius voluit agere patrinum. Luc. 1. v. 32. Nam ipſius mandatum fuit,quod Angelus dixerit S. Virgini & S. Joſepho, quod debeat Divinus hic Infans appellari JESUS. Tanta fuit tamque admirabilis excellentia Divini hujus Infantis, ut non eſſet niſi Deus, qui conveniens poſſet nomen imponere.

Adora & flecte genu huic S. Nomini JESUS, agno-

agnoſce & fatere non eſſe ſub cœlo aliud nomen datum hominibus, velut loquitur Sanctus Petrus Act. 4. v. 12. *in quo oporteat nos ſalvos fieri.*

II. *Conſidera*, quid ſignificet hoc Sanctum Nomen JESUS, atquè adverte quàm aptè impoſitum ſit hoc nomen Divino Infanti. Nam JESUS ſignificat Salvatorem, & qui ita appellatur non eſt ſolùm nomine; ſed etiam virtute & effectu (quantum eſt de ſe) Salvator omnium hominum Tim, 2. v. 4. quia expoſuit ſuam vitam & ſanguinem pro ſalute eorum.

Exerce actum fidei ſuper hac veritate, benedic & lauda titulum amoris & charitatis, quem Dei Filius voluit acceptare. Concipe ſpem te aliquando conſecuturum effectum hujus S. Nominis, modo cooperetis fideliter gratiis per merita Chriſti tibi donatis.

III. *Conſidera*, quot modis oſtenderit Chriſtus effectus & qualitates Salvatoris. Primò in hoc, quod omnes qui non ponunt obſtaculum, ſalvet & liberet à malo quocunquè, imbecillitate, ignorantia, errore, culpis peccatorum, verbo, omnibus moleſtiis & miſeriis temporalibus & æternis, nequè enim malum eſt ullum, aut miſeria, à quâ vel non poſſit, vel nolit liberare & ſalvare. Secundò in hoc, quod illis conferat omnis generis bona, nam per ipſum recipiunt omnes lumina, virtutes, cogitationes, merita, verbo, omnia gratiarum dona, & gloriam.

Quæ igitur gratiæ non ſunt referendæ Chriſto pro tantis beneficiis & muneribus? Quas tu referes in cognitionem tanti amoris? Ah, non petit aliud, quàm cor tuum; ſed vult in ſolidum, pro ſe ſolo. Vide quâ ratione illud velis eidem donare,

ME-

Meditatio pro Quarto die Januarii.

Populus qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam & ſedentibus in umbra mortis lux orta eſt. Matth. 4. v. 16.

I. Conſidera, miſericordiam infinitam Dei, qui miſit Filium ſuum in mundum, ut eſſet Salvator mundi, voluitquè ut innoteſceret ſua Nativitas, non ſolum Judæis, in paſtoribus; ſed etiam gentibus & idololatris, in tribus Magis; & propterea fecit, ut appareret in regionibus ad Orientem novum lumen in forma pulcherrimæ ſtellæ, ad ſignificandam Nativitatem hujus Divini Salvatoris.

Adora & lauda hanc Dei paternam bonitatem erga omnes homines, agnoſce veritatem quam loquitur Sanctus Apoſtolus Act. 4. v. 12. Deum velle ut omnes homines ſalvi fiant & veniant ad agnitionem veritatis. Cave ne reddas te indignum effectu hujus bonæ voluntatis.

II. *Conſidera*, deplorabilem ſtatum omnium gentilium, antequam Deus manifeſtaſſet Nativitatem Filii ſui. Latebant in horrendis idololatriæ tenebris privati cognitione veri Dei, honorem illi debitum reddentes dæmonibus & idolis, miſerabilem vitam in omnis generis abominandis peccatis tranſigendo. Perpende quantum Deo ſis obligatus, quod conceſſerit tibi nativitatem tuam non tempore maledictionis; ſed gratiæ.

Age gratias, quod te prætulerit tot millionibus creaturarum, qui manſerunt in tenebris mortis, ex qua te extraxit per miſericordiam, ut tibi donaret lumen vitæ.

Age

Age gratias pro dono tam pretioſo, & ſis ſollicitus ut benè utaris.

III. *Conſidera*, quod plures obſervaverint novam hanc ſtellam in Oriente,& quod aliqui etiam cognoverint quid illa ſignificaret, nihilominus fuerint pauci, qui ſumpſerint animos quærendi & adorandi JESUM, ô quot ſtellas & lumina Deus accendit hominibus? quot pias cogitationes & ſanctas inſpirationes illis mittit, & quàm pauci reperiuntur, qui, ut debent, cooperantur? & quantus eſt numerus illorum,qui recipiunt in vanum gratiam Dei,qui negligunt inſpirationes, imò illas rejiciunt & reſiſtunt Spiritui S. Cave ſis ex eorum numero. Humilia te ob defectus hucuſque in hoc genere commiſſos, & propone deinceps fideliter uti gratiâ JESU CHRISTI.

MEDITATIO PRO VIGILIA EPIPHANIÆ.

Ecce Magi ab Oriente venerunt Hieroſolymam. Matth. 2. v. 1.

I. *Conſidera*, quomodo tres principes Orientis, cùt cognoverunt per aliquot antiquos Prophetas, quod nova hæc ſtella apparens eſſet ſignum Nativitatis illius, qui debebat eſſe Rex & Salvator totius mundi, decreverint magnis animis quærere natum hunc novum Regem, adorandi ac præſtandi homagii ſtudio, nec mora, repleti, atquè animati vivâ fide, relictis palatiis, & patriâ, longum moleſtumque iter ſuſceperint.

Quanta eſt hæc tui confuſio, qui recepto à tot jam annis fidei dono excitatus, atquè illuminatus divino hoc munere, tam parum præſtitiſti pro Chriſto,

ſto, quin potiùs valde te ſegnem, cum illius cauſa, res aliqua ſuſcipienda fuit exhibuiſti.

II. *Conſidera,* quomodo Deus promovens piam trium Regum intentionem, voluerit, ut hæc ſtella per quam velut ſignum fuerunt excitati, etiam ſervierit pro duce itineris; ita ut nunquam priùs fuerint in via, quàm viderint hoc aſtrum in inferiore aëris regione eoſdem antecedere & tam die quàm nocte denotare iter ſuſcipiendum. O quàm bonum eſt ſe totum committere directioni divinæ providentiæ, atquè Deum eligere in ducem.

Dic igitur cum Propheta, *Notam fac mihi viam in qua ambulem , quia ad te levavi animam meam.* Pſal. 142. v. 8.

III. *Conſidera ,* quod boni hi Reges ſint directè & ſimpliciter ſecuti viam per ſtellam deſignatam, non declinantes neque ad dexteram neque ad ſiniſtram, cum illa ſtaret ipſi quieſcebant , cum illa progrederetur, & ipſi pergebant.

Vis felix conficere iter per hujus vitæ tranſitum, inſiſte feliciter viis, quas Deus tibi manifeſtat per lumen gratiæ, ſtude unicè obedire Deo; quære ſimpliciter in omnibus agnoſcere & exequi ipſius ſanctiſſimam & amantiſſimam voluntatem.

Meditatio pro Festo Epiphaniæ.

Ubi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum. Matth. 2. v. 2.

I. *Conſidera,* quanta fuerit fides trium Regum Magorum, qui licet non viderint niſi ſtellam, declarantem Nativitatem Meſſiæ, non ſolùm corde cre-

credunt, ſed etiam Hieroſolymam appulſi ſolemnem ore fidei profeſſionem edunt, & palam ac publicè profitentur, veniſſe ſe, ut illum adorent atquè Deum agnoſcant. Et tu poſt data tibi toties documenta & lumina, quàm debilem habes fidem, quàm ſterilem & infructuoſam! Humilia te coram Deo, & roga, ut fidem tibi adaugeat eamque vivam reddat atquè efficacem.

II. *Conſidera*, quod hi reges Magi non ſolùm fidem ſuam oſtenderint; ſed etiam fortitudinem ac conſtantiam; audentes agnoſcere Regem & Meſſiam JESUM CHRISTUM, coram univerſa Regis Herodis curia ipſo Tyranno præſente, qui eos in palatium vocaverat.

O quàm paucos hujuſmodi ſervos invenit Chriſtus, qui auſint publicè confiteri ſe velle eſſe ipſius, & vivere non ſecundum conſuetudinem mundi, ſed principia Evangelii. Roga Divinum Salvatorem ut in horum paucorum te numerum per ſuam gratiam recipiat.

III. *Conſidera*, turbationem Herodis & eorum qui habitabant Hieroſolymis ob nova de nativitate Meſſiæ, Herodes turbatus fuit ob ambitionem, & Judæi ob malam ſui diſpoſitionem adeò obcæcati, ut prætulerint eſſe unius potiùs Tyranni mancipia, quàm conſequi libertatem Divini Infantis per adventum Meſſiæ ſperandam. Ne te affigas mundo, ut ne, velut ii qui ſunt in mundo, ſis inquietus; ſed ſubmitte te in omnibus voluntati Divinæ & frueris pace cordis quæ nunquam poterit interturbari.

* * *

MB.

MEDITATIO PRO PRIMA Die infra octavam Epiphaniæ.

Et congregans omnes principes ſacerdotum & ſcribas Populi, ſciſcitabatur ab eis ubi Chriſtus naſceretur? at illi dixerunt ei: in Bethlehem Iuda. Matth. 2. v. 4. & 5.

I. *COnſidera*, & admirare modum providentiæ Divinæ, quæ utitur interpoſitione improborum, ut inſtruat probos, iiſque communicet diverſa bona ſpiritualia. Ita Herodes ſollicitus cauſavit, ut tres Reges cognoverint locum Nativitatis Meſſiæ.

O quàm juſtam habuit dicendi cauſam Sanctus Apoſtolus amantibus Deum, *omnia cooperari in bonum*. Rom. 8. v. 28. Ama Deum; ſed ama ex toto corde & conteſtare hunc amorem potiùs opere, quàm corde, & Deus faciet, ut omnia conſilia perverſorum, omnes conatus & maximè dæmonum ad tuum verè conducant bonum.

II. *Conſidera* adhæc, Pontifices & Doctores Judæorum eo tempore magnam partem fuiſſe vitiis deditos; nihilominus voluiſſe Deum iis uti, ut docerent magos Reges & omnem populum veritatem ſacrarum Scripturarum, quæ agunt de Nativitate Meſſiæ. Ut hinc agnoſcas, Paſtorum & Doctorum Eccleſiæ eſſe, ut te doceant veritates neceſſarias ad tuam ſalutem, &, modò ſint legitimi & veri Doctores ac Paſtores uniti per fidem Eccleſiæ, & perfectè ſubjecti illius capiti, tuum eſſe, ut facias quæ docent, quamquam eorum vita non reſpondeat Doctrinæ & ſint de numero eorum, qui dicunt & non fa-

aciunt. Age Deo gratias, quod hanc tibi veritatem am facilem declaraverit, ama eandem, & roga Deım, ut tibi præſtet gratiam juxta ejus ſenſum ſemper rocedendi.

III. *Conſidera* extremam Judæorum cæcitatem & erverſitatem, qui licet fuerint inſtructi ſacris Scripturis, licet planè ſpecialibus eos Deus gratiis proſecutus, licet iis præcipuè Meſſias promiſſus, & præterea viderint peregrinos è remotiſſimis regionibus, advenientes, ut adorarent Divinum Meſſiam, iſdem locum indicaverint, nullam tamen adhibuerunt curam eum inquirendi, nec dignati ſunt vel paſſum facere, ut ſua eidem obſequia deferrent.

Cape hinc cauſam te humiliandi, dum conſideras lumina, inſpirationes aliaſque gratias ſpeciales quas accepiſti. Cave tibi à vana tui ipſius complacentia, vel ne te aliis præferas; ſed potiùs contremiſce ſatis gnarus exactæ rationis, quam Deus à te petet, niſi fideliter cooperceris, & niſi obſequia tua reſpondeant multis magniſquè favoribus, quos in te confert.

MEDITATIO PRO SECUNDO DIE INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ.

Poſtquam Magi intellexerunt locum Nativitatis Meſſiæ, profecti ſunt Hieroſolymis, Et ecce Stella quam viderant in Oriente antecedebat eos. Matth. 2. v. 9.

I. *COnſidera*, exactam & fidelem methodum Regum Magorum, quâ opus bonum ſemel inceptum proſequuntur. Nam ſimul atque intellexerunt locum Nativitatis Chriſti, non ſe detinuerunt

in luſtrando raro & magnifico Herodis palatio, aut templo Salomonis; ſed profecti ſunt Hieroſolymis, ut iter ſuum continuarent.

Diſce quo affectu ac ſtudio debeas proſequi bonum, quod ut inchoares, gratiam tibi largitus eſt Deus; adeò ut non debeas ullâ mundanâ cauſâ ab eo diſtrahi & aliis occupari, *Ambulate dum lucem habetis, venit nox quando nemo poteſt operari.* Joan. 12. v. 35. Joan. 9. v. 4.

II. *Conſidera* ſuavitatem & benignitatem Dei erga bonos hos Magos. Cum dimiſſi proficiſcerentur Hieroſolymis, eadem ſtella quam apparere fecerat in Oriente ut eos duceret, novo iiſdem gaudio fuit & ſolatio.

O quàm bonus eſt Deus amantibus ſe, & in juſtitia ac ſimplicitate quærentibus ſe. O quàm veritati congruit, bonitatem ejus infinitam nunquam deeſſe fidelibus. Exerce actum fidei de hac veritate, quàm te docet Eccleſia, & renova fiduciam, quam debes habere in ipſius miſericordia infinita, quâ attendit ad tuam ſalutem & media tuæ ſanctificationis.

III. *Conſidera*, quantum fuerit gaudium Magorum Regum hanc denuò Stellam videntium præ oculis, deſignantem viam, quam debebant conficere. Commorantes Hieroſolymis ut dirigerentur pro voto ulterius, magnas erant paſſi difficultates, habuerant diverſas timoris & formidinis cauſas, videntes ſe in poteſtate Tyranni non agnoſcentis alium vel regem vel Meſſiam, quàm ſe; ſed ſecundum multitudinem dolorum, conſolationes divinæ eorum animos recreârunt.

Ecce quo tractet modo Deus eos quos amat; poſt tempeſtatem inducit malaciam & poſt nubila, ſolem redu-

educit. Ne igitur in dolore conſtitutus abjicias nimum; ſed expecta cum patientia levamen & ſoatium, quæ Deus mittet in tempore pro vero tuo ono & majore gloria ſua.

MEDITATIO PRO TERTIA DIE INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ.

Et ecce Stella, quam viderant in Oriente, intecedebat eos, uſque dum veniens ſtaret ſupra. Vbi erat puer. Matth. 2. v. 9. *Et intrantes lomum invenerunt puerum cum MARIA Matre ejus & procidentes adoraverunt eum,* 7. 11.

I. CONſidera in quantam Reges Magi fuerint rapti admirationem videntes ſtellam ſubſiſte-e ſupra locum pauperem & abjectum. Talis erat locus ubi tunc erat CHRISTUS JESUS: nam uxta ratiocinium humanum, videbatur tanto Domino eligendus fuiſſe locus honoratiſſimus. Nihilominus, quia interiùs illuminati erant, agnoverunt hunc ſplendorem à Rege gloriæ provenire multò excellentiùs per contemptum mundi & vanitatum ejus magnificentiam, quàm per aliquem exteriorem excellentiam. Diſce à JESU nato, quàm ſeipſos decipiant, qui per vanam pompæ apparentiam & luxum veſtium, ſupellectilis, ædificiorum, & ſimilium rerum honorem quærunt & exiſtimationem. Cave ne in fraudem te mundus inducat; quin potiùs propone tibi vivere & agere ſecundum principia & exemplum JESU CHRISTI.

II. *Conſidera*, quod Magi ſanctum hunc locum

ingreſſi videntes parvulum JESULUM inter brachia ſanctiſſimæ Matris, fuerint interiùs commoti ad magnam reverentiam, atquè per lumen fidei agnoverint hunc Infantem, licet apparenter parvum, Deum eſſe infinitæ majeſtatis, qui ex amore in ſuas creaturas in infimo atque humili hoc ſtatu ſeſe locavit. Cogita tu, quoties ſubis Eccleſiam, eſſe te in loco ſancto, aſpice oculis fidei eundem JESUM CHRISTUM præſentem in hoc templo, memor eſto honoris & reverentiæ eidem debitæ, invoca B. Virginem ut tibi à Divino ſuo obtineat Filio eum de religione ſenſum, ad quem habendum es obligatus.

III. *Conſidera*, quomodò tres Reges Magi ad Divinum hunc Infantem acceſſerint, in terram ſeſe proſtraverint, atquè adorantes ſupremum exhibuerint honorem veluti illi, quem ſuum agnoſcebant Deum; ſed quis poterit concipere; quâ modeſtiâ externâ, quo autem affectu interno hunc exercuerint actum Religionis, quot lachrymas coram Divino hoc Salvatore profuderint?

O quàm pauci hodierno ſunt tempore veri in Eccleſia adoratores Dei in ſpiritu & veritate! Roga JESUM CHRISTUM gratiam, ut in eorum ſis numero, atque eo quo obligaris modo ſupremo Deum adores cum debita reverentia, devotione ac diſpoſitione.

MEDITATIO PRO QUARTA
Die infra octavam Epiphaniæ.

Apertis Theſauris ſuis obtulerunt ei munera aurum, thus, & myrrham. Matth. 2. v. 11.

I. CONſidera tres Magos Reges nequaquam ſimplici adoratione Filii Dei fuiſſe contentos

ed obtuliſſe eidem & velut conſecrâſſe ſua corda, uos affectus, & ſua ſervitia. In quorum ſignum, quæ habebant ſecum ex Patria ſua pretioſiſſima ſcilicet urum, thus, & myrrham, obtulerunt.

Imitare horum Regum devotionem & conjunge everentiam atquè honorem offerendo & dedicanlo eidem cor, corpus, bona & quidquid eſt in te vel te, firmiterque propone totum hoc ejus obſequio c gloriæ impendere.

II. *Conſidera*, quidnam myſticè tria hæc Regum Magorum dona Chriſto oblata ſignificent, nempè Tres primas virtutes, quas Divinus hic Salvator à te umprimis deſiderat: Aurum, amorem erga ipſum & proximum tuum. Thus, orationem ferventem, quæ eſt elevatio mentis in eundem, & Myrrha, mortificationem omnium paſſionum & affectionum inordinatarum, quæ, ne ad illum accedas, te morantur. Examina an verum habeas deſiderium triâ hæc munera non unâ ſolùm vice, ſed toto vitæ tempore eidem offerendi?

III. *Conſidera*, quàm accepta tria hæc Regum uerint Chriſto Infanti munera. Namquè ſi poſtnodum tanti pendit duo minuta pauperis viduæ, quæ obtulit in templo, Marc. 12. v. 42. ob bonam voluntatem quam eadem detulit, omnino credibile eſt, quòd devotio & pietas, quæ hos Reges in tantum iter induxit, ut illi quæ habebant pretioſiſſima offerrent, fuiſſe longè gratiſſima, & conſequenter uxta magnificentiam ſuam ordinariam dona excellentiſſima atque incomparabiliter majoris valoris uerit elargitus. Offer igitur & dona Deo quæcunque potes, priva te ex amore illius nonnulla re, quam gratam habebit ejus bonitas etſi exiguam, modò donetur ex corde, quod ſit totum ipſius, nec habeat

aliud vel deſiderium vel ſtudium, quàm ipſi placendi eumque glorificandi.

MEDITATIO PRO QUINTA
Die infra Octavam Epiphaniæ.

Et reſponſo accepto in ſomnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam. Matth. 2. v. 12.

I. Conſidera ſingularem curam quam Deus gerit ſuorum. Providentia ipſius æterna vigilat pro iis dormientibus. Angeli juxta Prophetæ dictum velut cuſtodia corporis ſunt in circuitu ipſorum ut eos defendant ac protegant. Pſal. 90. v. 11.

O quàm bonum eſt eſſe totum hujus Domini, quàm ſecuri ſunt pro quibus eſt Deus? quis te impediat quò minus tanti ſis particeps boni?

Sis tu Dei & Deus erit pro te, & ſi Deus ſe declaret pro te, quis auſit vel facere vel ſuſcipere quidpiam contra te?

II. *Conſidera* Evangelium dicere, quod Magi nocte inter dormiendum cœlitùs acceperint reſponſum de illo, quod avebant ſcire. Unde licet ſupponere bonos hos Reges, poſtquam debita obſequia præſtiterunt JESU CHRISTO, ſollicitos fuiſſe de ſuo reditu & neſcios, debeântne redire ad Herodem, dediſſe ſe precibus, ut de hoc conſulerent voluntatem Dei & bonitati ipſius felicem commendarent itineris ſui ſucceſſum.

En exemplum quod te oporteat imitari, cum perplexus es animo, aut difficultas occurrit in negotiis. Recurrendum eſt ad orationem, petendum ab illo lumen & gratiam agnoſcendi & faciendi id quod illi magis eſt placitum. Propone adire velut Moy-

Moyſes tabernaculum Dei in tua neceſſitate. Eum conſule in omnibus, quæ vel facis vel pateris. Invoca Spiritum S. ut tibi aſſiſtat ducatque te in omnibus viis tuis.

III. *Conſidera* Reges agnitam Dei voluntatem fideliter fuiſſe executos, atque in reditu tenuiſſe viam ab eodem ſignificatam. Hæc eſt diſpoſitio, quam habere debes, cum conſulis Deum, eumque rogas ut ſuam tibi manifeſtet voluntatem. Oportet ut ſtatuas confeſtim exequi quidquid cognoveris. Antequam verò id cognoſcas, ſis omnino indifferens ad faciendum id, quod magis illi placebit, licet tuæ non ſit ita conforme inclinationi. Reflecte te, ſisne in eo ſtatu, ut dicas cum Propheta, *paratum cor meum Deus, paratum cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum.* Pſal. 56. v. 8.

MEDITATIO PRO DOMINICA infra Octavam Epiphaniæ.

Cum factus eſſet annorum duodecim. Luc. 2. v. 42. *Remanſit puer IESVS in Hieruſalem & non cognoverunt parentes ejus.* v. 43.

I. *Conſidera*, quantâ devotione parvulus JESULUS iverit ſingulis annis Hieroſolymam cum Sancta Matre & Sancto Joſepho pro Paſchatis feſto celebrando? quantâ modeſtiâ, Divinus hic Infans comparuerit in templo? quantâ reverentiâ, quantoque amore obtulerit preces Deo Patri. Et tu, cum pergis in templum adoraturus & preces oblaturus, quâ id methodo præſtas? quo corporis ſitu? quo dirigis cogitationes? eheu quantum eſt inter tuas & Chriſti preces diſcrimen? Confundere & deplora omnes negligentias, ſocordias commiſſas, im-

ſto, quin potiùs valde te ſegnem, cum illius cauſa, res aliqua ſuſcipienda fuit exhibuiſti.

II. *Conſidera,* quomodo Deus promovens piam trium Regum intentionem, voluerit, ut hæc ſtella per quam velut ſignum fuerunt excitati, etiam ſervierit pro duce itineris; ita ut nunquam priùs fuerint in via, quàm viderint hoc aſtrum in inferiore aëris regione eoſdem antecedere & tam die quàm nocte denotare iter ſuſcipiendum. O quàm bonum eſt ſe totum committere directioni divinæ providentiæ, atquè Deum eligere in ducem.

Dic igitur cum Propheta, *Notam fac mihi viam in qua ambulem , quia ad te levavi animam meam.* Pſal. 142. v. 8.

III. *Conſidera* , quod boni hi Reges ſint directè & ſimpliciter ſecuti viam per ſtellam deſignatam, non declinantes neque ad dexteram neque ad ſiniſtram, cum illa ſtaret ipſi quieſcebant , cum illa progrederetur, & ipſi pergebant.

Vis felix conficere iter per hujus vitæ tranſitum, inſiſte feliciter viis, quas Deus tibi manifeſtat per lumen gratiæ, ſtude unicè obedire Deo; quære ſimpliciter in omnibus agnoſcere & exequi ipſius ſanctiſſimam & amantiſſimam voluntatem.

MEDITATIO PRO FESTO EPIPHANIÆ.

Ubi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum. Matth. 2. v. 2.

I. CONſidera, quanta fuerit fides trium Regum Magorum, qui licet non viderint niſi ſtellam, declarantem Nativitatem Meſſiæ, non ſolùm corde

cre-

credunt, ſed etiam Hieroſolymam appulſi ſolemnem ore fidei profeſſionem edunt, & palam ac publicè profitentur, veniſſe ſe, ut illum adorent atquè Deum agnoſcant. Et tu poſt data tibi toties documenta & lumina, quàm debilem habes fidem, quàm ſterilem & infructuoſam! Humilia te coram Deo, & roga, ut fidem tibi adaugeat eamque vivam reddat atquè efficacem.

II. *Conſidera*, quod hi reges Magi non ſolùm fidem ſuam oſtenderint; ſed etiam fortitudinem ac conſtantiam; audentes agnoſcere Regem & Meſſiam JESUM CHRISTUM, coram univerſa Regis Herodis curia ipſo Tyranno præſente, qui eos in palatium vocaverat.

O quàm paucos hujuſmodi ſervos invenit Chriſtus, qui auſint publicè confiteri ſe velle eſſe ipſius, & vivere non ſecundum conſuetudinem mundi, ſed principia Evangelii. Roga Divinum Salvatorem ut in horum paucorum te numerum per ſuam gratiam recipiat.

III. *Conſidera*, turbationem Herodis & eorum qui habitabant Hieroſolymis ob nova de nativitate Meſſiæ, Herodes turbatus fuit ob ambitionem, & Judæi ob malam ſui diſpoſitionem adeò obcæcati, ut prætulerint eſſe unius potiùs Tyranni mancipia, quàm conſequi libertatem Divini Infantis per adventum Meſſiæ ſperandam. Ne te affigas mundo, ut ne, velut ii qui ſunt in mundo, ſis inquietus; ſed ſubmitte te in omnibus voluntati Divinæ & frueris pace cordis quæ nunquam poterit interturbari.

* * *

ME-

MEDITATIO PRO PRIMA Die infra octavam Epiphaniæ.

Et congregans omnes principes ſacerdotum & ſcribas Populi, ſciſcitabatur ab eis ubi Chriſtus naſceretur? at illi dixerunt ei: in Bethlehem Iudæ. Matth. 2. v. 4. & 5.

I. *COnſidera*, & admirare modum providentiæ Divinæ, quæ utitur interpoſitione improborum, ut inſtruat probos, iiſque communicet diverſa bona ſpiritualia. Ita Herodes ſollicitus cauſavit, ut tres Reges cognoverint locum Nativitatis Meſſiæ.

O quàm juſtam habuit dicendi cauſam Sanctus Apoſtolus amantibus Deum, *omnia cooperari in bonum*. Rom. 8. v. 28. Ama Deum; ſed ama ex toto corde & conteſtare hunc amorem potiùs opere, quàm corde, & Deus faciet, ut omnia conſilia perverſorum, omnes conatus & maximè dæmonum ad tuum verè conducant bonum.

II. *Conſidera* adhæc, Pontifices & Doctores Judæorum eo tempore magnam partem fuiſſe vitiis deditos; nihilominus voluiſſe Deum iis uti, ut docerent magos Reges & omnem populum veritatem ſacrarum Scripturarum, quæ agunt de Nativitate Meſſiæ. Ut hinc agnoſcas, Paſtorum & Doctorum Eccleſiæ eſſe, ut te doceant veritates neceſſarias ad tuam ſalutem, &, modò ſint legitimi & veri Doctores ac Paſtores uniti per fidem Eccleſiæ, & perfectè ſubjecti illius capiti, tuum eſſe, ut facias quæ docent, quamquam eorum vita non reſpondeat Doctrinæ & ſint de numero eorum, qui dicunt & non fa-

faciunt. Age Deo gratias, quod hanc tibi veritatem tam facilem declaraverit, ama eandem, & roga Deum, ut tibi præſtet gratiam juxta ejus ſenſum ſemper procedendi.

III. *Conſidera* extremam Judæorum cæcitatem & perverſitatem, qui licet fuerint inſtructi ſacris Scripturis, licet planè ſpecialibus eos Deus gratiis proſecutus, licet iis præcipuè Meſſias promiſſus, & præterea viderint peregrinos è remotiſſimis regionibus, advenientes, ut adorarent Divinum Meſſiam, iiſdem locum indicaverint, nullam tamen adhibuerunt curam eum inquirendi, nec dignati ſunt vel paſſum facere, ut ſua eidem obſequia deferrent.

Cape hinc cauſam te humiliandi, dum conſideras lumina, inſpirationes aliaſque gratias ſpeciales quas accepiſti. Cave tibi à vana tui ipſius complacentia, vel ne te aliis præferas; ſed potiùs contremiſce ſatis gnarus exactæ rationis, quam Deus à te petet, niſi fideliter cooperceris, & niſi obſequia tua reſpondeant multis magniſquè favoribus, quos in te confert.

MEDITATIO PRO SECUNDO DIE INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ.

Poſtquam Magi intellexerunt locum Nativitatis Meſſiæ, profecti ſunt Hieroſolymis, Et ecce Stella quam viderant in Oriente antecedebat eos. Matth. 2. v. 9.

I. CONſidera, exactam & fidelem methodum Regum Magorum, quâ opus bonum ſemel inceptum proſequuntur. Nam ſimul atque intellexerunt locum Nativitatis Chriſti, non ſe detinuerunt

in luſtrando raro & magnifico Herodis palatio, aut templo Salomonis; ſed profecti ſunt Hieroſolymis: ut iter ſuum continuarent.

Diſce quo affectu ac ſtudio debeas proſequi bonum, quod ut inchoares, gratiam tibi largitus eſt Deus; adeò ut non debeas ullâ mundanâ cauſâ ab eo diſtrahi & aliis occupari, *Ambulate dum lucem habetis, venit nox quando nemo poteſt operari.* Joan. 12. v. 35. Joan. 9. v. 4.

II. *Conſidera* ſuavitatem & benignitatem Dei erga bonos hos Magos. Cum dimiſſi proficiſcerentur Hieroſolymis, eadem ſtella quam apparere fecerat in Oriente ut eos duceret, novo iiſdem gaudio fuit & ſolatio.

O quàm bonus eſt Deus amantibus ſe, & in juſtitia ac ſimplicitate quærentibus ſe. O quàm veritati congruit, bonitatem ejus infinitam nunquam deeſſe fidelibus. Exerce actum fidei de hac veritate, quàm te docet Eccleſia, & renova fiduciam, quam debes habere in ipſius miſericordia infinita, quâ attendit ad tuam ſalutem & media tuæ ſanctificationis.

III. *Conſidera*, quantum fuerit gaudium Magorum Regum hanc denuò Stellam videntium præ oculis, deſignantem viam, quam debebant conficere. Commorantes Hieroſolymis ut dirigerentur pro voto ulterius, magnas erant paſſi difficultates, habuerant diverſas timoris & formidinis cauſas, videntes ſe in poteſtate Tyranni non agnoſcentis alium vel regem vel Meſſiam, quàm ſe; ſed ſecundum multitudinem dolorum, conſolationes divinæ eorum animos recreârunt.

Ecce quo tractet modo Deus eos quos amat; poſt tempeſtatem inducit malatiam & poſt nubila, ſolem redu-

reducit. Ne igitur in dolore conſtitutus abjicias animum; ſed expecta cum patientia levamen & ſolatium, quæ Deus mittet in tempore pro vero tuo bono & majore gloria ſua.

Meditatio pro Tertia die infra Octavam Epiphaniæ.

Et ecce Stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, uſque dum veniens ſtaret ſupra. Vbi erat puer. Matth. 2. v. 9. *Et intrantes domum invenerunt puerum cum MARIA Matre ejus & procidentes adoraverunt eum,* v. 11.

I. Conſidera in quantam Reges Magi fuerint rapti admirationem videntes ſtellam ſubſiſtere ſupra locum pauperem & abjectum. Talis erat locus ubi tunc erat CHRISTUS JESUS: nam juxta ratiocinium humanum, videbatur tanto Domino eligendus fuiſſe locus honoratiſſimus. Nihilominus, quia interiùs illuminati erant, agnoverunt hunc ſplendorem à Rege gloriæ provenire multò excellentiùs per contemptum mundi & vanitatum ejus magnificentiam, quàm per aliquem exteriorem excellentiam. Diſce à JESU nato, quàm ſeipſos decipiant, qui per vanam pompæ apparentiam & luxum veſtium, ſupellectilis, ædificiorum, & ſimilium rerum honorem quærunt & exiſtimationem. Cave ne in fraudem te mundus inducat; quin potiùs propone tibi vivere & agere ſecundum principia & exemplum JESU CHRISTI.

II. *Conſidera*, quod Magi ſanctum hunc locum

ingreſſi videntes parvulum JESULUM inter brachia ſanctiſſimæ Matris, fuerint interiùs commoti ad magnam reverentiam, atquè per lumen fidei agnoverint hunc Infantem, licet apparenter parvum, Deum eſſe infinitæ majeſtatis, qui ex amore in ſuas creaturas in infimo atque humili hoc ſtatu ſeſe locavit. Cogita tu, quoties ſubis Eccleſiam, eſſe te in loco ſancto, aſpice oculis fidei eundem JESUM CHRISTUM præſentem in hoc templo, memor eſto honoris & reverentiæ eidem debitæ, invoca B. Virginem ut tibi à Divino ſuo obtineat Filio eum de religione ſenſum, ad quem habendum es obligatus.

III. *Conſidera*, quomodò tres Reges Magi ad Divinum hunc Infantem acceſſerint, in terram ſeſe proſtraverint, atquè adorantes ſupremum exhibuerint honorem veluti illi, quem ſuum agnoſcebant Deum; ſed quis poterit concipere, quâ modeſtiâ externâ, quo autem affectu interno hunc exercuerint actum Religionis, quot lachrymas coram Divino hoc Salvatore profuderint?

O quàm pauci hodierno ſunt tempore veri in Eccleſia adoratores Dei in ſpiritu & veritate! Roga JESUM CHRISTUM gratiam, ut in eorum ſis numero, atque eo quo obligaris modo ſupremo Deum adores cum debita reverentia, devotione ac diſpoſitione.

MEDITATIO PRO QUARTA Die infra octavam Epiphaniæ.

Apertis Theſauris ſuis obtulerunt ei munera aurum, thus, & myrrham. Matth. 2. v. 11.

I. COnſidera tres Magos Reges nequaquam ſimplici adoratione Filii Dei fuiſſe contentos;

ſed obtuliſſe eidem & velut conſecrâſſe ſua corda, ſuos affectus, & ſua ſervitia. In quorum ſignum, quæ habebant ſecum ex Patria ſua pretioſiſſima ſcilicet aurum, thus, & myrrham, obtulerunt.

Imitare horum Regum devotionem & conjunge reverentiam atquè honorem offerendo & dedicando eidem cor, corpus, bona & quidquid eſt in te vel à te, firmiterque propone totum hoc ejus obſequio ac gloriæ impendere.

II. *Conſidera*, quidnam myſticè tria hæc Regum Magorum dona Chriſto oblata ſignificent, nempè Tres primas virtutes, quas Divinus hic Salvator à te cumprimis deſiderat: Aurum, amorem erga ipſum & proximum tuum. Thus, orationem ferventem, quæ eſt elevatio mentis in eundem, & Myrrha, mortificationem omnium paſſionum & affectionum inordinatarum, quæ, ne ad illum accedas, te morantur. Examina an verum habeas deſiderium triâ hæc munera non unâ ſolùm vice, ſed toto vitæ tempore eidem offerendi?

III. *Conſidera*, quàm accepta tria hæc Regum fuerint Chriſto Infanti munera. Namquè ſi poſtmodum tanti pendit duo minuta pauperis viduæ, quæ obtulit in templo, Marc. 12. v. 42. ob bonam voluntatem quam eadem detulit, omnino credibile eſt, quòd devotio & pietas, quæ hos Reges in tantum iter induxit, ut illi quæ habebant pretioſiſſima offerrent, fuiſſe longè gratiſſima, & conſequenter juxta magnificentiam ſuam ordinariam dona excellentiſſima atque incomparabiliter majoris valoris fuerit elargitus. Offer igitur & dona Deo quæcunque potes, priva te ex amore illius nonnulla re, quam gratam habebit ejus bonitas etſi exiguam, modò donetur ex corde, quod ſit totum ipſius, nec habeat

 aliud

aliud vel deſiderium vel ſtudium, quàm ipſi placendi eumque glorificandi.

MEDITATIO PRO QUINTA Die infra Octavam Epiphaniæ.

Et reſponſo accepto in ſomnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam. Matth. 2. v. 12.

I. CONſidera ſingularem curam quam Deus gerit ſuorum. Providentia ipſius æterna vigilat pro iis dormientibus. Angeli juxta Prophetæ dictum velut cuſtodia corporis ſunt in circuitu ipſorum ut eos defendant ac protegant. Pſal. 90. v. 11.

O quàm bonum eſt eſſe totum hujus Domini, quàm ſecuri ſunt pro quibus eſt Deus? quis te impediat quò minus tanti ſis particeps boni?

Sis tu Dei & Deus erit pro te, & ſi Deus ſe declaret pro te, quis auſit vel facere vel ſuſcipere quidpiam contra te?

II. *Conſidera* Evangelium dicere, quod Magi nocte inter dormiendum cœlitùs acceperint reſponſum de illo, quod avebant ſcire. Unde licet ſupponere bonos hos Reges, poſtquam debita obſequia præſtiterunt JESU CHRISTO, ſollicitos fuiſſe de ſuo reditu & neſcios, debeántne redire ad Herodem, dediſſe ſe precibus, ut de hoc conſulerent voluntatem Dei & bonitati ipſius felicem commendarent itineris ſui ſucceſſum.

En exemplum quod te oporteat imitari, cum perplexus es animo, aut difficultas occurrit in negotiis. Recurrendum eſt ad orationem, petendum ab illo lumen & gratiam agnoſcendi & faciendi id quod illi magis eſt placitum. Propone adire velut Moy-

Moyſes tabernaculum Dei in tua neceſſitate. Eum conſule in omnibus, quæ vel facis vel pateris. Invoca Spiritum S. ut tibi aſſiſtat ducatque te in omnibus viis tuis.

III. *Conſidera* Reges agnitam Dei voluntatem fideliter fuiſſe executos, atque in reditu tenuiſſe viam ab eodem ſignificatam. Hæc eſt diſpoſitio, quam habere debes, cum conſulis Deum, eumque rogas ut ſuam tibi manifeſtet voluntatem. Oportet ut ſtatuas confeſtim exequi quidquid cognoveris. Antequam verò id cognoſcas, ſis omnino indifferens ad faciendum id, quod magis illi placebit, licet tuæ non ſit ita conforme inclinationi. Reflecte te, ſisne in eo ſtatu, ut dicas cum Propheta, *paratum cor meum Deus, paratum cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum.* Pſal. 56. v. 8.

MEDITATIO PRO DOMINICA infra Octavam Epiphaniæ.

Cum factus eſſet annorum duodecim. Luc. 2. v. 42. *Remanſit puer IESVS in Hieruſalem & non cognoverunt parentes ejus.* v. 43.

I. *Conſidera*, quantâ devotione parvulus JESULUS iverit ſingulis annis Hieroſolymam cum Sancta Matre & Sancto Joſepho pro Paſchatis feſto celebrando? quantâ modeſtiâ, Divinus hic Infans comparuerit in templo? quantâ reverentiâ, quantoque amore obtulerit preces Deo Patri. Et tu, cum pergis in templum adoraturus & preces oblaturus, quâ id methodo præſtas? quo corporis ſitu? quo dirigis cogitationes? eheu quantum eſt inter tuas & Chriſti preces diſcrimen? Confundere & deplora omnes negligentias, ſocordias commiſſas, im-

modeſtias exercitas in Eccleſiis? Recurre ad miſericordiam Dei, implora ſubſidium gratiæ, & propone emendationem.

II. *Conſidera*, quanto dolore ſanctiſſima Virgo adverterit filium eſſe ſuum à ſe ſeparatum? quot immaduerit lachrymis? quantâ cum diligentiâ quæſiverit, in omnibus divinæ ſe conformans voluntati, dicens in corde cum vetere Patriarcha: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum.* Job. 1. v. 21.

Diſce ab hac Sancta Domina, quo te debeas modo gerere, cum Deus aliquam tibi ſubtrahit gratiam, aut conſolationem ſenſibilem, vel cum te premit aliqua ſpiritûs afflictio, aut cordis amarities, aut alia adverſitas. Humilia te hoc caſu coram Deo, & confitere eidem, quod minimum tuum peccatum animadverſionem multò acerbiorem mereatur, & licet ei placuerit, ut eadem tibi obveniat, ne deſiſte ſanctum ejus nomen collaudare.

III. *Conſidera*, quanto gaudio & quanto ſolatio fuerit completa ſanctiſſima hæc Mater, quandò Divinum ſuum Filium invenit in templo in medio Doctorum cœtu, qui erant attoniti ob ſapientiam & reſponſa hujus pueri. Quantas egerit Deo gratias? Ah dum JESUM invenit, theſaurum ſuæ vitæ, verbo, invenit omnia.

Quod ſi tu verum habeas amorem Divini hujus Salvatoris, erit ille unicum tibi argumentum gaudendi, ſatiaberis illius præſentiâ, affligeris abſentiâ. Age, quæ eſt tui cordis diſpoſitio? quibus potiſſimum rebus gaudes? quibus triſtaris?

* * * *
* * *
* *
*

ME-

Meditatio pro octava Epiphaniæ.

Vidit Ioannes IESVM venientem ad ſe, Joan. 1. v. 29. *Vt baptizaretur.* Matth. 31. v. 3.

I. *COnſidera*, poſtquam tempus advenit, quo ſtatuerat Salvator noſter ſe manifeſtare mundo, voluiſſe hoc munus inchoare per actum profundiſſimæ humilitatis; venit igitur ad Joannem, ut Baptiſmo pœnitentiæ baptizaretur.

Ecce primum apparatum, quem medicus cœleſtis voluit adhibere, ut nos ſanaret. Sciebat probè ſuperbiam primam eſſe omnium malorum noſtrorum cauſam. Propterea ſe humiliat, ut coram oculis noſtrum videntes Deum humiliatum & abjectum confundamur & erubeſcamus nos extollere. Examina ſeriò, quantopere tibi ſit opus hâc virtute humilitatis, & circumſpice, quâ eam debeas ratione exercere.

II. *Conſidera* Baptiſmum Sancti Joannis eſſe Baptiſmum pœnitentiæ, non eſſe tamen Sacramentum, ſicut ipſe Baptiſmus, quem poſtea inſtituit CHRISTUS; ſed ſimplicem ſolùm cæremoniam per quam quis declarabat ſe peccatorem, atque agnoſcebat ſe Divinâ egere providentiâ, ut mundaretur à noxis. Interea licet Chriſtus fuerit juſtus, innocens & Sanctus, rogat Baptiſmum pœnitentiæ, ut appareat eſſe peccator. Et nos, qui ſumus pleni peccatorum, volumus videri juſti, fugimus pœnitentiam, & moleſtum eſt, ſi admoneamur de defectibus, ponaturquè nobis ob oculos quantum obligati ſimus, ut Deo pro offenſis contra Divinam ſuam Majeſtatem commiſſis ſatisfaciamus.

 III. *Con-*

III. *Conſidera*, & obſerva oculis fidei, quomodo Chriſtus, ubi advenit ad vias Jordanis, ſe immerſerit publicanis, militibus & ſimilibus aliis perſonis, quæ erant congregatæ, ut audirent Sanctum Joannem prædicantem, nihil præ ſe tulit quo à cæteris diſtingueretur, attendit magna cum diligentia, quæ ſuus concionabatur Præcurſor. Quantâ hinc eorum confuſio qui in corde ſuo, & modo procedendi dicunt velut Phariſæus, *Non ſum ſicut cæteri hominum.* Luc. 18. v. 12.

Cave ne iis par ſis, & ſi vere libeat imitari Chriſtum, fuge oſtentationem & ſingularitatem, gaude ſi non habearis velut cæteri; ſed cæteris omnibus poſtponaris.

Adverte quinque Meditationes ſequentes hic poſitas ut ſerviant iis diebus, qui poſſunt occurrere poſt octavam Epiphaniæ uſquè ad Dominicam ſequentem.

Meditatio pro quarto decimo die Januarii.

Sanctus Ioannes dicebat Chriſto: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Matth. 3. v. 14. *Nempe ut te baptizem.*

I. Conſidera, quantum fuerit gaudium S. Joannis, cum vidit ſuis oculis Divinum Meſſiam, quem annuntiabat populo, cujus ille erat Præcurſor. Credibile eſt, majori fuiſſe dulcedine perfuſum, quàm cum exiliit in utero Matris, cum fuit viſitatus à ſanctiſſima Matre hujus Divini Salvatoris.

Magnus hic Sanctus non magnopere curavit ſe viſitatum eſſe in ſuo deſerto per principes & magiſtra-

ſtratus, alioſque primates Hieroſolymitanos, unicus amantiſſimi ſui Meſſiæ conſpectus incomparabiliter omnibus aliis eidem acceptior fuit.

Perpende an tu ſimiliter ſis diſpoſitus? quis tibi animus cum in illius verſaris præſentia, quando te in ſacra viſitat Communione?

II. *Conſidera*, quanta humilitate agnoverit S. Joannes ſibi opus eſſe ut pro purificatione baptizaretur à Chriſto, nam licet ſuam ante Nativitatem fuerit ſanctificatus, nec ſibi conſcius eſſet peccati, non præſumpſit propterea de ſe ipſo ſe eſſe juſtum, ſed confeſſus eſt ſe quotidie Divinâ egere miſericordiâ.

Quod ſi magnus hic Sanctus cauſam habuit, tam parvi ſe faciendi, quantò potiùs tu te ipſum minimi putas? quantâ cordis compunctione agnoſcendum tibi eſt ac fatendum, ſummopere te egere, ut munderis & ſanctificeris per Chriſtum JESUM.

III. *Conſidera*, quanta fuerit benignitas Filii Dei, in S. ſuum Præcurſorem, quem dignatus eſt ipſemet ire quæſitum, honoratum, & conſolatum, dum ille prædicando, docendo atque populum exhortando occupabatur.

Sed demirare exceſſum ejuſdem benignitatis, quam Divinus hic Salvator oſtendit in te, dum te honorat viſitatione internâ, ſuâ te gratiâ præveniendo non unâ, ſed innumeris vicibus; nec ſolùm cum illius occupatus es obſequiis; ſed ſæpius cum illius ne memor es quidem. Vide ſis, quem ei amorem atque gratitudinis ſignum pro tali velis amore reddere, & quantâ affectione atque fidelitate ejus velis gratiæ correſpondere?

ME-

MEDITATIO PRO QUINTA DECIMA DIE JANUARII.

IESVS dixit Ioanni: ſine modo, ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam. Matth. 3. v. 15.

I. *COnſidera* & pondera attentè verba Filii Dei ad S. Joannem per quæ declarat ad complendam juſtitiam conducere, ut à ſua manu baptizetur, hoc eſt pro complenda juſtitia oportere, ut ita ſe humiliet, ut etiam ſervo ſe ſubmittat ad recipiendum eum Baptiſmum, qui non datur niſi peccatoribus, ut ſe ad pœnitentiam diſponant.

O quam debes hic capere confuſionem, quod loco humiliationis totum invertas ordinem juſtitiæ, dum te elevas per ſuperbiam, nolens te ſubmittere & obedire Deo, atque iis, quos Divina ipſius providentia tibi dedit ſuperiores.

II. *Conſidera* denuò obſtupeſcendam Filii Dei humilitatem, qui ſemet ad ſui Præcurſoris abjecit pedes, atque in ſitu ſupplicantis ac pœnitentis eum rogat ut baptizetur, declarando ſe hoc facere ut adimpleatur juſtitia.

Et tu quomodo complebis ut decet, vel minimam juſtitiæ partem? quouſque debes te humiliare & annihilare videns Salvatorem & Deum tuum tantam humiliationem atque abjectionem tui amore complectentem.

III. *Conſidera* exactam S. Joannis obedientiam, ſine ulla unius verbi replicatione, ſine excuſatione ulla, ſine expectatione expreſſi mandati, explet quod

quod CHRISTUS dicit, ut faciat. Baptizat Divinum hunc Salvatorem. At quantâ reverentiâ, quantâ ſui confuſione videt ad pedes ſuos Deum ſuum. Diſce à magno hoc Sancto, quo debeas modo exercere virtutem obedientiæ, quantâ ſimplicitate & ſubmiſſione proprii judicii debeas tam Deo, quàm aliquibus aliis ſecundum ejus providentiæ ordinem obedire.

Meditatio pro Sexta decima die Januarii.

Baptizatus autem IESVS oravit. Matth. 3. v. 16. *Et ecce aperti ſunt cæli.* v. eodem.

I. *Conſidera*, quomodo Pater æternus videns ſuum Filium adeò humiliatum, poſtquam ſe obtulit velut pœnitentem & vadem ac fidejuſſorem pro omnibus peccatoribus, voluerit cum honore ei oſtendere quaſi ſcintillam illius gloriæ ipſi poſt humiliationem ſuam præparatæ. O quantâ dixit veritate Chriſtus, *qui ſe humiliat exaltabitur*, Matth. 23. v. 12. quemadmodum à contrario, *qui ſe exaltat humiliabitur.*

Vide utrum malis, nunc te abjicere & humiliare juxta exemplum Chriſti JESU, ut dignus evadas, quem Deus per ſuam miſericordiam & gratiam elevet, an verò pro more hujus ſæculi te elevare atque exaltare velis, ut poſtmodum humilieris & abjiciaris per juſtitiam Divinam.

II. *Conſidera*, quomodo voluerit Deus Pater honorare Baptiſmum Filii ſui. Evangelium tradit, quod Divinus hic Salvator ſimul ſe dederit in preces & ſimul aperti fuerint cœli, ex quibus lux admirabi-

lis

lis ſuper eum refulſit: ut nos informaret Divinum hunc Meſſiam non eſſe velut primum hominem formatum è terra, eſſequè totum terreſtrem; ſed eſſe demiſſum de cœlo ac proinde totum cœleſtem, quantum ad vitam, ad doctrinam, ad legem, verbo omnia opera eſſe cœleſtia.

Diſce hinc quanti debeas æſtimare & Evangelium JESU Chriſti & cuncta præcepta, & doctrinas, & conſilia. Etenim in ipſius Evangelio nihil eſt humani, nihil terreni, omnia cœleſtia ſunt, omnia Divina. expende igitur, quanto debeas illud reſpectu legere, audire, meditari, & quanto affectu exercere opere, quod continet.

III. *Conſidera*, cœlos orante JESU fuiſſe apertos ut diſcas per merita Divini hujus Salvatoris, habitaculum gloriæ fuiſſe apertum hominibus.

Vide quantum ipſi ſis obligatus, eam ob cauſam quod ſpem habeas aliquando illud intrandi. Ah quid de te fieret, quò devenires poſt mortem niſi talem haberes Salvatorem, qui pro te preces fudit, qui tibi aditum ad Paradiſum per merita ſua, paſſionem, atque mortem recluſit.

MEDITATIO PRO SEPTIMA DECIMA DIE JANUARII.

Sanctus Ioannes vidit Spiritum tanquam Columbam deſcendentem & manentem in ipſo. Marci 1. v. 19.

I. *CONſidera* hunc S. Spiritûs deſcenſum fuiſſe ſignum plenitudinis ſuperabundantis omnis generis bonorum cœleſtium, quæ ſunt datæ Sanctæ humanitati, tam copiosè, velut Evangelium nos docet,

docet, Joan. 1. v. 14. ut fuerit *plenus gratiæ & veritatis*, atquè ex ejus plenitudine omnes in nos gratiæ, quas recipimus, defluant. v. 16. Nihil obſtat, quò minùs abundantiſſimè inde haurias, nam hic gratiæ fons nunquam poteſt exhauriri. Examina quibus tu potiſſimùm indigeas & hauri cum gaudio de fontibus Salvatoris.

II. *Conſidera*, S. Spiritum deſcendiſſe ſuper Chriſtum in ſpecie Columbæ, cum ut adferret ramum pacis, tum ut & ceſſationem diluvii peccatorum, quod operuit terram, & conciliationem hominis cum Deo denuntiaret. Benedic & lauda Deum, quod perſonam Redemptoris tui tam amabilibus inſtruxerit donis. Confide in hac manſuetudine & bonitate, & quoniam eſt *agnus Dei, qui tollit peccata mundi*, Joan. 1. v. 29. roga ut tua quoque tollat à te, donetque pacem, quam mundus dare non poteſt.

III. *Conſidera*, Divinam hanc Columbam manſiſſe & quieviſſe in CHRISTO, ut cognoſcas, non ſufficere gratiam Spiritûs Sancti recipere per Sacramenta aut alias vias quibus ipſas communicat; ſed enitendum, ut maneat conſtanter, hoc eſt dicere, gerendam tibi curam, ut acceptam retineas gratiam, per exercitia bonorum operum benè utendo, & orandam ſingulis diebus perſeverantiam. Vide quid tibi præſtandum, ut merearis Spiritum Sanctum manere in te, & quanta debeat eſſe cordis tui puritas, ut eidem ſerviat pro templo.

* * *

MR-

Meditatio pro Octavo decimo die Januarii.

Et vox facta eſt de cœlis: Tu es Filius meus in te complacui. Matth. 1. v. 11.

I. Conſidera, quàm glorioſum fuerit CHRISTO Domino noſtro hoc teſtimonium, quo Pater cœleſtis publicè illum agnovit Filium. O quantus honor, O quanta felicitas, erit aliquando, niſi te reddas indignum, agnoſci pro Filio Dei adoptivo, pro hærede gloriæ & pro cohærede ſui Filii JESU CHRISTI. Nullus obſtat niſi tu teipſum impedias, quin ita fiat, nam Divinus hic Salvator dedit tibi poteſtatem *Filium Dei fieri*, Joan. 1. v. 12.

II. *Conſidera* Patrem cœleſtem non ſolùm declarare JESUM CHRISTUM eſſe ſuum Filium; ſed etiam eſſe Filium dilectum.

Hoc eſt bonum bonorum omnium ſummum, quod deſiderare & ad quod aſpirare debes, ut diligaris à Deo. Eheu tanti fit in mundo amari à Rege aut Magnatibus terræ, ipſorum favor tanto quæritur affectu, pro eo conſequendo nec labori, nec tempori, nec impenſis parcitur. Et tu quid feciſti, ut diligaris à Deo? imò quid deinceps facies ut hâc felicitate potiare?

III. *Conſidera* CHRISTUM JESUM non ſolùm eſſe Filium dilectum; ſed etiam vehementer diligentem, quippe qui contendit ſemper atque in omnibus occaſionibus ſuo perplacere Patri.

Ecce exemplum cui te debes conformare, ſi verè Filius Dei es, non ſolùm deſiderabis, ut ſis in amore & favore Divino, ſed Deum etiam ex toto corde ada-

adamabis. In argumentum hujus amoris, ſingulari ſtudio conaberis eidem in omnibus actionibus placere, multóque magis curabis, ne eidem in ulla unquam occaſione diſpliceas.

MEDITATIO PRO NONO DECIMO DIE JANUARII.

Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Matth. 3. v. 17.

I. CONſidera, inter virtutes, quæ Chriſtum Deo Patri ſuo filium dilectum reddidêre, tres eſſe præcipuas, quarum imitatione conniti debes ut & Patris cœleſtis filius ſis dilectus. Prima eſt *humilitas*, per quam divinus hic Salvator ſeſe depreſſit, & velut annihilavit, ut exaltaret & glorificaret, ſicut Apoſtolus ſanctus ait, Deum Patrem.

Humilia igitur te ut capax fias & tu glorificandi eumdem, paternaque dignus dilectione evadas.

II. *Conſidera*, Secundam hujus Filii dilecti virtutem, eſſe *obedientiam* illius, qui ait ſe non veniſſe in terram, niſi ut *faciat voluntatem Patris ſui*. Joan. 6. v. 38. & alibi. Et quemadmodum ille ſuo eſt Patri ſubjectus per obedientiam, ita quoque divinus voluit Pater, ut quicumque avet magnus eſſe atque eminere in cœlo, ſuo ſeſe filio ſubmittat, ſuóque in nomine *genua flectat*. Philipp. 2. v. 10.

Obedi igitur omnibus Dei nutibus ad exemplum hujus Salvatoris; ſed obedi uſque ad mortem, ut in illius horâ tanquam filius dilectus agnoſcaris.

III. *Conſidera* tertiam JESU Chriſti virtutem, quæ ſingulariter eum Patri ſuo cœleſti gratum reddi-

dit eſſe, *zelum gloriæ & honoris*. Zelus qui eum conſumebat interius & conſtanter urgebat ut ſuam ſacrificaret vitam, ut & ipſe glorificaret Patrem ſuum cœleſtem & glorificaretur per ſuas creaturas. Dixit ſe veniſſe *ignem mittere in terram nec quidquam aliud velle niſi ut accendatur*. Luc. 12. v. 49.

Offer illi cor tuum ut igne illud cœleſti inflammet, atque ut corde cœleſti hoc ardore repleto, te applicet & conſumat pro ſua gloria, ut procures quantum eſt in te, quò magis & magis cognoſcatur, adametur, eidem obediatur, ſerviatur, atque in omnibus locis glorificetur.

MEDITATIO PRO SECUNDA DOMINICA POST EPIPHANIAM.

Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galileæ: & erat Mater IESV ibi, Vocatus eſt autem & JESUS *& diſcipuli ejus ad nuptias*. Joan. 2. v. 1. 2.

I. *COnſidera* benignitatem & bonitatem Domini noſtri JESU Chriſti, qui invitatus ad nuptias in oppidulum Galileæ, non eſt gravatus eò ire, ut gratias aliquas & benedictiones tam Neo-Sponſis quàm toto cætui communicaret.

Age huic divino Salvatori gratias, quod toties tuis condeſcenderit deſideriis, licet nullam fueris gratiam promeritus. Diſce hoc exemplo infirmitati proximi tui condeſcendere & proprium tuum ſolatium ac quietem deſerere, ut illis utile atque animæ ipſius perfectum tribuas obſequium, opuſque exerceas charitatis. II. *Con-*

II. *Conſidera*, quali modeſtiâ Salvator noſter in hac ſe geſſerit ſolemnitate, quibus diſcurſibus cætum illum diſtinuerit, imaginare comitatem in vultu, gravitate temperatam, quâ & cor devinciebat & reverentiam ſibi conciliabat, ut ſola ipſius præſentia quemvis intra modeſtiæ terminos continuerit.

Et tu quî te geris in ſimilibus conventibus? nunquid jure confunderis, recordatus quàm malo fueris exemplo proximis tuis tua immodeſtiâ, tuâ intemperantiâ, tuis diſcurſibus & colloquiis non ſolùm otioſis & inutilibus; ſed etiam contrariis charitati.

Humilia igitur te, dole de præteritis & propone meliora in futurum.

III *Conſidera* charitatem ſanctiſſimæ Virginis, quæ deſeruit dulcedinem ſolitudinis Nazarethanæ, ut & nuptiis aſſiſteret & omnis generis præſtaret obſequia, atque hoc eò lubentius, quod pauperes eſſent, velut ex vini apparet defectu.

Imitare hanc ſanctam Dominam in amore quem habuit in pauperes. Roga eandem, ut tibi impetret cor plenum miſericordiâ & charitate in pauperes; ora quoque eandem, ut tibi in omnibus indigentiis & neceſſitatibus Spiritualibus ſuccurrat.

MEDITATIO PRO DIE LUNÆ.

Et deficiente vino dicit Mater IESV ad eum: vinum non habent. Joan. 2. v. 3.

I. *Conſidera*, vinum ſæpius deficere in ſolemnitatibus hujus mundi, hoc eſt dicere, gaudia illius eſſe brevia, & ſæpe commiſceri aut ſequi tædia & dolores.

Reflecte parumper, quot infortunia jucundis congreſſibus intervenerint, quot funeſti caſus turbaverint gaudia magnorum cætuum, & licet nihil aliud adferrent mali, niſi quod Deus ſæpe in hujuſmodi vanis congreſſibus offendatur, nunquid hæc cauſa abundè ſufficeret, ut animum ab iis abſtraheres?

Cave igitur ſecundum verba Apoſtoli, ne diligas mundum neque ea quæ in mundo ſunt. *Si quis diligit mundum non eſt charitas Patris in eo.* Joan. 2. v. 15.

II. *Conſidera,* quomodo ſancta Virgo advertens pauperibus Sponſis deficere vinum, qui fortaſſis præ verecundia non audebant eidem hoc ſignificare, prævenerit illorum petitionem, & videns illorum ſolicitudinem, tactaque compaſſione acceſſit ad divinum ſuum Filium, ut is per omnipotentem ſuam bonitatem conſulat.

Adverte, quem gerat animum Mater miſericordiæ erga ſibi ſingulariter devotos.

Hos adjuvat ſuâ interceſſione, obtinet gratias diverſas pro eorum neceſſitatibus magis prementibus, etiam tunc, cum nec cogitant eam rogare.

Poteris, ſi voles particeps fieri favorum hujus Matris miſericordiæ, & in tuis neceſſitatibus ſentire effectum amoris. Honora illam, invoca, proſequere filiali dilectione, habebitque ipſa Maternum in te amorem.

III. *Conſidera,* quænam fuerint præces hujus ſanctiſſimæ Virginis? Nihil aliud fecit, quàm ut declararet Filio neceſſitatem, in qua erant pauperes hi homines conſtituti, *Fili,* inquit, *vinum non habent.*

Paucis his verbis nihilominus grandem conteſtata eſt fidem, quam habebat de potentia divini hujus

Sal-

Salvatoris, fiduciam in ſua bonitate, reſignationem quoad omnia in ipſius Filii voluntatem, contenta ſive negaretur quod petebat ſive concederetur.

Cape Exemplum ab hac ſanctiſſima Virgine quis tibi debeat eſſe animus, cum, ſive in tuis ſive in proximi tui neceſſitatibus recurris ad Deum? Credendum ſimiliter ab ipſo dependere abſolutè omnia, confidendum perfectæ ipſius miſericordiæ, nihilominus reſignatio facienda ſine ulla exceptione in ipſius ſanctiſſimam voluntatem.

MEDITATIO PRO DIE MARTIS.

Dicit Mater ejus miniſtris: quodcunque dixerit vobis, facite. Joan. 2. v. 5.

I. *Conſidera*, quod ſanctiſſima Virgo reſponſo accepto in ſpeciem non favorabili ſuæ petitioni, propterea nullo planè modo diminuerit fiduciam, quam in ejus habuit bonitate; ſciebat probè, quâ in hac vita ratione Deus tractet eos quos amat, & aliunde non ignorabat, quod divinus hic Salvator fuerit illi ita locutus, ne miraculum, quod volebat facere, ulli affectioni in Matrem naturali tribueretur; ſed ſoli miſericordiæ atque omnipotentiæ divinæ. Diſce hinc quid te oporteat facere, cum Deus non tam citò, ut exoptas, preces audit, oportet ut te humiles ſub potenti manu ejus, & te conformes ſanctiſſimæ ipſius voluntati, nec minuas quidquam de fiducia perfecta, quam in illius debes miſericordia collocare.

II. *Conſidera*, & accepta conſilium, quod ſanctiſſima Virgo hâc dedit occaſione, & crede ſalubrius eſſe,

quàm ab ulla potueris unquam perſona accipere ; imaginare tibi ac ſi hæc miſericordiæ Mater iſthæc tibi verba diceret : Fac quodcumque tibi dicet Filius meus : eſto fidelis omnibus gratiis quas tibi dabit ; attende ad omnes bonas cogitationes & inſpirationes ſanctas quibus tibi loquetur ad cor. Denique obedi bono animo omnibus quæ ſe velle, ut facias, ſignificabit. Ecce compendium totius perfectionis & ſanctitatis Chriſtianæ.

III. *Conſidera* moderationem & modeſtiam ſanctiſſimæ Virginis in ſuo diſcurſu , cum loquitur vel Filio vel aliis, pauca profert verba & ſolùm neceſſaria , ſemper cum admirabili prudentia & modeſtia.

Stude imitari hanc ſapientiſſimam Virginem in uſu linguæ , cohibe diſcurſus & colloquia inutilia, de quibus rationem reddes in extremo judicii die , honora ſilentium ſanctiſſimæ Virginis vitando congreſſus non neceſſarios, manendo in ſolitudine, cum nec neceſſarium eſt, nec utile, ut cum proximo converſeris & cum es in Societate aliorum, mortifica aliquoties linguam, nec permitte eam loqui niſi quæ ad proximi ſpectant ædificationem, & non ad tuam propriam delectationem.

Meditatio Pro Die Mercurii.

Dicit IESVS eis: implete hydrias aquâ, & impleverunt eas. Joan. 2. v. 7.

I. *Conſidera* perfectam obedientiam, quam boni hi famuli præſtiterunt CHRISTO, juxta inſtitu-

ſtitutionem quam acceperunt à ſanctiſſima Virgine. Non interrogant cur divinus Salvator jubeat implere hydrias aquâ, pro qua non erant conſtituti; ſed ſolùm pro vino. Non adducunt ullam rationem aut excuſationem, non utuntur dilatione; ſed exactè, promptè & in puncto exequuntur quæ Jeſus ipſis mandat, cum interna ſubmiſſione non ſolùm ſuæ voluntatis; ſed proprii etiam judicii.

Vide quomodo ſit tibi obediendum Deo, & illis quibus ipſe vult, ut te ſubmittas. Recordare inobedientiam primorum parentum inde profluxiſſe, quod ſcire vellent, cur Deus iis prohibuiſſet, ne de fructu uno manducarent? non oportet quærere rationem obedientiæ aliam, quàm ipſam obedientiam.

II. *Conſidera* atque admirare potentiam JESU CHRISTI, qui ſine tactu aquæ, ſine ullo verbo prolato, ſolùm ſuâ voluntate aquam mutavit in vinum, conſolare te, quod tam potentem habeas Salvatorem. Roga ut placeat cor tuum mutare ex tepido & imperfecto, ſicut eſt, in fervens & perfectum in ſuo amore. Offer in hunc finem ipſi hoc cor tuum quantum eſt, pone in manibus ejus, ut per gratiam ſuam, felicem hanc operetur mutationem.

III. *Conſidera* liberalitatem, quâ noſter Salvator compenſat exigua obſequia, quæ conamur eidem præſtare. Ecce pro aliquot vini vitris, quæ ei in hoc convivio fuerunt oblata, reddit ſex hydrias magnas omnino repletas vino generoſiore, quàm eidem fuerit donatum.

Æſtima certiſſimum, te nihil illi oblaturum, nec te à te aliqua re pro ipſius amore privandum, pro qua non reddat centuplum in hac vita; & quamquam ſervire eidem non debeas animo mercenarii, attamen utiliſſimum eſt, ſi conſideres bonitatem & liberalita-

tem admirabilem hujus divini Salvatoris,ut excitet te ad præſtandum, quodcunque ei placet cum perfectiſſimo amore.

MEDITATIO PRO DIE JOVIS.

(Duo diſcipuli S. Joannis Baptiſtæ ſequebantur JESUM & dicebant ei) *Rabbi ubi habitas? dicit eis: venite & videte.* Joan. 1. v.38. & 39.

I. C*Onſidera* diverſas manſiones, quas JESUS CHRISTUS habuit in peregrinatione hujus vitæ. Videbis imò naſci in caverna Bethlehemetica, poſtea pluribus annis morari in Ægypto, tum redire in Nazareth, poſt; cum voluit ſe manifeſtare mundo, ut eſſet in ſolitudine, quadraginta diebus in deſertum abiiſſe, denique ut reliquum vitæ ſuæ in diverſis laboribus & defatigationibus pro noſtra ſalute tranſigeret, ultimam commorationem ſuam elegiſſe in monte Calvariæ & conſummâſſe opus noſtræ redemptionis in Cruce. Atqui in omnibus his manſionibus exercuit humilitatem, paupertatem & charitatem.

Perpende, in qua habitatione velis ſocius eſſe CHRISTI? an paratus ſis dicere æquè in monte Calvariæ ac in monte Thabor, *Domine bonum eſt nos hic eſſe.* Matt. 17 v. 4.

II. *Conſidera*, quæ ſint conditiones, quas Deus moraturis proponit, *qui vult* inquit. Matt. 16. v.24. *poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat Crucem ſuam & ſequatur me,* Verum eſt, hoc eſſe durum inclina-

clinationi naturali ; ſed attende quid aliquando dicet illis, qui hac repugnantia non obſtante tam magnanimi fuerunt, ut fideliter ſint ſecuti. Dicet illis velut alia vice ſuis Apoſtolis *Vos eſtis qui manſiſtis mecum in tentationibus.* Luc. 22. v. 28.

O quantum gaudium, quanta felicitas æternùm morari cum Chriſto JESU.

Poteris, ſi voles, Sequere eum & morare cum illo in hac vita, & poſt mortem recipiet te in æterna tabernacula per totam æternitatem.

III. *Conſidera*, per quæ media durante hujus vitæ peregrinatione poſſis morari cum CHRISTO JESU. Hoc fit primariò per virtutem charitatis amando eum ex toto corde. Nam ille in Evangelio ait, *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Joan. 14. v. 23.

2. Per orationem, quia oratio elevat mentem ad Deum, facitque nos converſari in cœlis.

3. Per S. Communionem, nam CHRISTUS dixit, ſe cum recepturo ſe in hoc Sacramento, permanſurum.

Perpende quomodo deſideres uti his tribus mediis, ut potiaris felicitate commorandi cum CHRISTO JESU.

MEDITATIO PRO OCTAVO DECIMO DIE JANUARII.

Et vox facta eſt de cœlis: Tu es Filius meus in te complacui. Matth. 1. v. 11.

I. *Conſidera*, quàm glorioſum fuerit CHRISTO Domino noſtro hoc teſtimonium, quo Pater cœleſtis publicè illum agnovit Filium. O quantus honor, O quanta felicitas, erit aliquando, niſi te reddas indignum, agnoſci pro Filio Dei adoptivo, pro hærede gloriæ & pro cohærede ſui Filii JESU CHRISTI. Nullus obſtat niſi tu teipſum impedias, quin ita fiat, nam Divinus hic Salvator dedit tibi poteſtatem *Filium Dei fieri*. Joan. 1. v. 12.

II. *Conſidera* Patrem cœleſtem non ſolùm declarare JESUM CHRISTUM eſſe ſuum Filium; ſed etiam eſſe Filium dilectum.

Hoc eſt bonum bonorum omnium ſummum, quod deſiderare & ad quod aſpirare debes, ut diligaris à Deo. Eheu tanti fit in mundo amari à Rege aut Magnatibus terræ, ipſorum favor tanto quæritur affectu, pro eo conſequendo nec labori, nec tempori, nec impenſis parcitur. Et tu quid feciſti, ut diligaris à Deo? imò quid deinceps facies ut hâc felicitate potiare?

III. *Conſidera* CHRISTUM JESUM non ſolùm eſſe Filium dilectum; ſed etiam vehementer diligentem, quippe qui contendit ſemper atque in omnibus occaſionibus ſuo perplacere Patri.

Ecce exemplum cui te debes conformare, ſi verè Filius Dei es, non ſolùm deſiderabis, ut ſis in amore & favore Divino, ſed Deum etiam ex toto corde ada-

adamabis. In argumentum hujus amoris, ſingulari ſtudio conaberis eidem in omnibus actionibus placere, multóque magis curabis, ne eidem in ulla unquam occaſione diſpliceas.

MEDITATIO PRO NONO DECIMO DIE JANUARII.

Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Matth. 3. v. 17.

I. *Conſidera*, inter virtutes, quæ Chriſtum Deo Patri ſuo filium dilectum reddidêre, tres eſſe præcipuas, quarum imitatione conniti debes ut & Patris cœleſtis filius ſis dilectus. Prima eſt *humilitas*, per quam divinus hic Salvator ſeſe depreſſit, & velut annihilavit, ut exaltaret & glorificaret, ſicut Apoſtolus ſanctus ait, Deum Patrem.

Humilia igitur te ut capax fias & tu glorificandi eumdem, paternaque dignus dilectione evadas.

II. *Conſidera*, Secundam hujus Filii dilecti virtutem, eſſe *obedientiam* illius, qui ait ſe non veniſſe in terram, niſi ut *faciat voluntatem Patris ſui*. Joan. 6. v. 38. & alibi. Et quemadmodum ille ſuo eſt Patri ſubjectus per obedientiam, ita quoque divinus voluit Pater, ut quicumque avet magnus eſſe atque eminere in cœlo, ſuo ſeſe filio ſubmittat, ſuóque in nomine *genua flectat*. Philipp. 2. v. 10.

Obedi igitur omnibus Dei nutibus ad exemplum hujus Salvatoris; ſed obedi uſque ad mortem, ut in illius horâ tanquam filius dilectus agnoſcaris.

III. *Conſidera* tertiam JESU Chriſti virtutem, quæ ſingulariter eum Patri ſuo cœleſti gratum reddi-

dit eſſe, *zelum gloriæ & honoris.* Zelus qui eum conſumebat interius & conſtanter urgebat ut ſuam ſacrificaret vitam, ut & ipſe glorificaret Patrem ſuum cœleſtem & glorificaretur per ſuas creaturas. Dixit ſe veniſſe *ignem mittere in terram nec quidquam aliud velle niſi ut accendatur.* Luc. 12. v. 49.

Offer illi cor tuum ut igne illud cœleſti inflammet, atque ut corde cœleſti hoc ardore repleto, te applicet & conſumat pro ſua gloria, ut procures quantum eſt in te, quò magis & magis cognoſcatur, adametur, eidem obediatur, ſerviatur, atque in omnibus locis glorificetur.

MEDITATIO PRO SECUNDA DOMINICA POST EPIPHANIAM.

Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galileæ: & erat Mater IESV ibi, Vocatus eſt autem & JESUS *& diſcipuli ejus ad nuptias.* Joan. 2. v. 1. 2.

I. *COnſidera* benignitatem & bonitatem Domini noſtri JESU Chriſti, qui invitatus ad nuptias in oppidulum Galileæ, non eſt gravatus eò ire, ut gratias aliquas & benedictiones tam Neo-Sponſis quàm toto cætui communicaret.

Age huic divino Salvatori gratias, quod toties tuis condeſcenderit deſideriis, licet nullam fueris gratiam promeritus. Diſce hoc exemplo infirmitati proximi tui condeſcendere & proprium tuum ſolatium ac quietem deſerere, ut illis utile atque animæ ipſius perfectum tribuas obſequium, opuſque exerceas charitatis. II. *Con-*

II. *Conſidera*, quali modeſtiâ Salvator noſter in hac ſe geſſerit ſolemnitate, quibus diſcurſibus cœtum illum diſtinuerit, imaginare comitatem in vultu, gravitate temperatam, quâ & cor devinciebat & reverentiam ſibi conciliabat, ut ſola ipſius præſentia quemvis intra modeſtiæ terminos continuerit.

Et tu quî te geris in ſimilibus conventibus? nunquid jure confunderis, recordatus quàm malo fueris exemplo proximis tuis tua immodeſtiâ, tuâ intemperantiâ, tuis diſcurſibus & colloquiis non ſolùm otioſis & inutilibus; ſed etiam contrariis charitati.

Humilia igitur te, dole de præteritis & propone meliora in futurum.

III *Conſidera* charitatem ſanctiſſimæ Virginis, quæ deſeruit dulcedinem ſolitudinis Nazarethanæ, ut & nuptiis aſſiſteret & omnis generis præſtaret obſequia, atque hoc eò lubentius, quod pauperes eſſent, velut ex vini apparet defectu.

Imitare hanc ſanctam Dominam in amore quem habuit in pauperes. Roga eandem, ut tibi impetret cor plenum miſericordiâ & charitate in pauperes; ora quoque eandem, ut tibi in omnibus indigentiis & neceſſitatibus Spiritualibus ſuccurrat.

MEDITATIO PRO DIE LUNÆ.

Et deficiente vino dicit Mater IESV ad eum: vinum non habent. Joan. 2. v. 3.

I. *COnſidera*, vinum ſæpius deficere in ſolemnitatibus hujus mundi, hoc eſt dicere, gaudia illius eſſe brevia, & ſæpe commiſceri aut ſequi tædia & dolores.

Reflecte parumper, quot infortunia jucundis congreſſibus intervenerint, quot funeſti caſus turbaverint gaudia magnorum cætuum, & licet nihil aliud adferrent mali, niſi quod Deus ſæpe in hujuſmodi vanis congreſſibus offendatur, nunquid hæc cauſa abundè ſufficeret, ut animum ab iis abſtraheres?

Cave igitur ſecundum verba Apoſtoli, ne diligas mundum neque ea quæ in mundo ſunt. *Si quis diligit mundum non eſt charitas Patris in eo.* Joan. 2. v. 15.

II. *Conſidera*, quomodo ſancta Virgo advertens pauperibus Sponſis deficere vinum, qui fortaſſis præ verecundia non audebant eidem hoc ſignificare, prævenerit illorum petitionem, & videns illorum ſolicitudinem, tactaque compaſſione acceſſit ad divinum ſuum Filium, ut is per omnipotentem ſuam bonitatem conſulat.

Adverte, quem gerat animum Mater miſericordiæ erga ſibi ſingulariter devotos.

Hos adjuvat ſuâ interceſſione, obtinet gratias diverſas pro eorum neceſſitatibus magis prementibus, etiam tunc, cum nec cogitant eam rogare.

Poteris, ſi voles particeps fieri favorum hujus Matris miſericordiæ, & in tuis neceſſitatibus ſentire effectum amoris. Honora illam, invoca, proſequere filiali dilectione, habebitque ipſa Maternum in te amorem.

III. *Conſidera*, quænam fuerint præces hujus ſanctiſſimæ Virginis? Nihil aliud fecit, quàm ut declararet Filio neceſſitatem, in qua erant pauperes hi homines conſtituti, *Fili*, inquit, *vinum non habent*.

Paucis his verbis nihilominus grandem conteſtata eſt fidem, quam habebat de potentia divini hujus

Sal-

Salvatoris,fiduciam in ſua bonitate , reſignationem quoad omnia in ipſius Filii voluntatem, contenta ſive negaretur quod petebat ſive concederetur.

Cape Exemplum ab hac ſanctiſſima Virgine quis tibi debeat eſſe animus,cum,ſive in tuis ſive in proximi tui neceſſitatibus recurris ad Deum ? Credendum ſimiliter ab ipſo dependere abſolutè omnia , confidendum perfectæ ipſius miſericordiæ , nihilominus reſignatio facienda ſine ulla exceptione in ipſius ſanctiſſimam voluntatem.

Meditatio pro Die Martis.

Dicit Mater ejus miniſtris : quodcunque dixerit vobis,facite. Joan. 2. v. 5.

I. *Conſidera*,quod ſanctiſſima Virgo reſponſo accepto in ſpeciem non favorabili ſuæ petitioni, propterea nullo planè modo diminuerit fiduciam , quam in ejus habuit bonitate ; ſciebat probè, quâ in hac vita ratione Deus tractet eos quos amat,& aliunde non ignorabat, quod divinus hic Salvator fuerit illi ita locutus, ne miraculum , quod volebat facere, ulli affectioni in Matrem naturali tribueretur; ſed ſoli miſericordiæ atque omnipotentiæ divinæ. Diſce hinc quid te oporteat facere , cum Deus non tam citò,ut exoptas,preces audit , oportet ut te humiles ſub potenti manu ejus , & te conformes ſanctiſſimæ ipſius voluntati , nec minuas quidquam de fiducia perfecta,quam in illius debes miſericordia collocare.

II. *Conſidera*,& accepta conſilium, quod ſanctiſſima Virgo hâc dedit occaſione, & crede ſalubrius eſſe,

quàm ab ulla potueris unquam perſona accipere ; imaginare tibi ac ſi hæc miſericordiæ Mater iſthæc tibi verba diceret : Fac quodcumque tibi dicet Filius meus : eſto fidelis omnibus gratiis quas tibi dabit ; attende ad omnes bonas cogitationes & inſpirationes ſanctas quibus tibi loquetur ad cor. Denique obedi bono animo omnibus quæ ſe velle, ut facias, ſignificabit. Ecce compendium totius perfectionis & ſanctitatis Chriſtianæ.

III. *Conſidera* moderationem & modeſtiam ſanctiſſimæ Virginis in ſuo diſcurſu , cum loquitur vel Filio vel aliis, pauca profert verba & ſolùm neceſſaria , ſemper cum admirabili prudentia & modeſtia.

Stude imitari hanc ſapientiſſimam Virginem in uſu linguæ , cohibe diſcurſus & colloquia inutilia, de quibus rationem reddes in extremo judicii die , honora ſilentium ſanctiſſimæ Virginis vitando congreſſus non neceſſarios, manendo in ſolitudine, cum nec neceſſarium eſt, nec utile, ut cum proximo converſeris & cum es in Societate aliorum, mortifica aliquoties linguam, nec permitte eam loqui niſi quæ ad proximi ſpectant ædificationem, & non ad tuam propriam delectationem.

MEDITATIO PRO DIE MERCURII.

Dicit IESVS eis: implete hydrias aquâ, & impleverunt eas. Joan. 2. v. 7.

I. *CONſidera* perfectam obedientiam, quam boni hi famuli præſtiterunt CHRISTO, juxta inſtitu-

ſtitutionem quam acceperunt à ſanctiſſima Virgine. Non interrogant cur divinus Salvator jubeat implere hydrias aquâ, pro qua non erant conſtituti; ſed ſolùm pro vino. Non adducunt ullam rationem aut excuſationem, non utuntur dilatione; ſed exactè, promptè & in puncto exequuntur quæ Jeſus ipſis mandat, cum interna ſubmiſſione non ſolùm ſuæ voluntatis; ſed proprii etiam judicii.

Vide quomodo ſit tibi obediendum Deo, & illis quibus ipſe vult, ut te ſubmittas. Recordare inobedientiam primorum parentum inde profluxiſſe, quod ſcire vellent, cur Deus iis prohibuiſſet, ne de fructu uno manducarent? non oportet quærere rationem obedientiæ aliam, quàm ipſam obedientiam.

II. *Conſidera* atque admirare potentiam JESU CHRISTI, qui ſine tactu aquæ, ſine ullo verbo prolato, ſolùm ſuâ voluntate aquam mutavit in vinum, conſolare te, quod tam potentem habeas Salvatorem. Roga ut placeat cor tuum mutare ex tepido & imperfecto, ſicut eſt, in fervens & perfectum in ſuo amore. Offer in hunc finem ipſi hoc cor tuum quantum eſt, pone in manibus ejus, ut per gratiam ſuam, felicem hanc operetur mutationem.

III. *Conſidera* liberalitatem, quâ noſter Salvator compenſat exigua obſequia, quæ conamur eidem præſtare. Ecce pro aliquot vini vitris, quæ ei in hoc convivio fuerunt oblata, reddit ſex hydrias magnas omnino repletas vino generoſiore, quàm eidem fuerit donatum.

Æſtima certiſſimum, te nihil illi oblaturum, nec te à te aliqua re pro ipſius amore privandum, pro qua non reddat centuplum in hac vita; & quamquam ſervire eidem non debeas animo mercenarii, attamen utiliſſimum eſt, ſi conſideres bonitatem & liberalita-

rem admirabilem hujus divini Salvatoris,ut excitet te ad præſtandum, quodcunque ei placet cum perfectiſſimo amore.

Meditatio pro Die Jovis.

(Duo diſcipuli S. Joannis Baptiſtæ ſequebantur JESUM & dicebant ei) *Rabbi ubi habitas? dicit eis: venite & videte.* Joan. 1. v.38. & 39.

I. *Conſidera* diverſas manſiones, quas JESUS CHRISTUS habuit in peregrinatione hujus vitæ. Videbis imò naſci in caverna Bethlehemetica,poſtea pluribus annis morari in Ægypto, tum redire in Nazareth, poſt; cum voluit ſe manifeſtare mundo, ut eſſet in ſolitudine,quadraginta diebus in deſertum abiiſſe, denique ut reliquum vitæ ſuæ in diverſis laboribus & defatigationibus pro noſtra ſalute tranſigeret, ultimam commorationem ſuam elegiſſe in monte Calvariæ & conſummâſſe opus noſtræ redemptionis in Cruce. Atqui in omnibus his manſionibus exercuit humilitatem, paupertatem & charitatem.

Perpende, in qua habitatione velis ſocius eſſe CHRISTI? an paratus ſis dicere æquè in monte Calvariæ ac in monte Thabor, *Domine bonum eſt nos hic eſſe.* Matt. 17 v. 4.

II. *Conſidera*, quæ ſint conditiones, quas Deus moraturis proponit, *qui vult* inquit. Matt. 16. v.24. *poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat Crucem ſuam & ſequatur me,* Verum eſt, hoc eſſe durum inclina-

clinationi naturali ; ſed attende quid aliquando dicet illis, qui hac repugnantia non obſtante tam magnanimi fuerunt, ut fideliter ſint ſecuti. Dicet illis velut alia vice ſuis Apoſtolis *Vos eſtis qui manſiſtis mecum in tentationibus.* Luc. 22. v. 28.

O quantum gaudium, quanta felicitas æternùm morari cum Chriſto JESU.

Poteris, ſi voles, Sequere eum & morare cum illo in hac vita, & poſt mortem recipiet te in æterna tabernacula per totam æternitatem.

III. *Conſidera*, per quæ media durante hujus vitæ peregrinatione poſſis morari cum CHRISTO JESU. Hoc fit primariò per virtutem charitatis amando eum ex toto corde. Nam ille in Evangelio ait, *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Joan. 14. v. 23.

2. Per orationem, quia oratio elevat mentem ad Deum, facitque nos converſari in cœlis.

3. Per S. Communionem, nam CHRISTUS dixit, ſe cum recepturo ſe in hoc Sacramento, permanſurum.

Perpende quomodo deſideres uti his tribus mediis, ut potiaris felicitate commorandi cum CHRISTO JESU.

Meditatio Pro Die Veneris.

Invenimus Meſſiam. Ioan. 1. *v.* 41. *Invenimus IESVM Filium Ioſeph à Nazareth, v.* 45. (Ait S. Andreas Fratri ſuo S. Petro & S. Philippus Nathanaëli.)

I. *COnſidera*, quanto gaudio atque ſolatio perfuſi fuerint, S. Andreas & S. Philippus, quando hanc nacti ſunt felicitatem, ut invenirent divinum hunc tot ſæculis expectatum & deſideratum Meſſiam. Quanto affectu hæc nova alter fratri ſuo, alter amico annunciârit?

O quanta hæc eſt felicitas animæ invenire JESUM! O quantum infortunium ſeparari à JESU! poteſtne cor verè Chriſtianum ſolidum guſtare gaudium ubi non invenit JESUM? eſtne afflictio aut adverſitas aliqua pertimeſcenda animæ, præſente hoc Salvatore divino? ſed ſentisne cum S. Paulo, poteſque dicere, Ad Phil. 3. v. 8. *Omnia arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucri faciam.*

II. *Conſidera* & cogita, ubi poſſis invenire JESUM, non in terra eorum qui vivunt in deliciis, veluti magnus quidam Sanctus loquitur, nec in mari inquieto & turbulento hujus mundi; ſed in morte & in perditione tui ipſius: Ita eſt. Debes mori tibi ipſi, debes perdere vitam animalem & ſenſualem, ut & invenias JESUM & te invenias in JESU; ita ut poſſis dicere. Ad Gal. 2. v. 20. *Vivo autem jam non ego; vivit verò in me CHRISTUS.*

III. *Con-*

III. *Conſidera*,quid charitas poſtulet,quando inveniſti JESUM, quando eris in illo & cum illo per gratiam: ut nempe quos obvios habes, ad eum adducas, imò ut quæras fratres & proximos tuos atque invites venire ad JESUM.

Si igitur inveneris aliquem rerum ad ſalutem ſuam ſpectantium ignarum; vel inſtitue,vel cura ut inſtituatur.

Si offendas aliquem in ſtatu peccati,enitere,ut per fraternam correctionem hoc cœno extrahatur. Excita ubique bono tuo exemplo proximum, ut Deum glorificet, ſic adduces eum ad JESUM, reddeſque te magis magiſque dignum, ut æternûm maneas cum JESU.

MEDITATIO PRO DIE SABBATHI.

Vidit IESVS Nathanaëlem venientem ad ſe & dicit de eo: ecce verè Iſraëlita, in quo dolus non eſt. Joan. 1. v. 47.

I. *Conſidera*, quàm amabile ſit cor ſimplex & rectum! & quantopere oppoſitus ſit Spiritui CHRISTI animus fraudulentus & duplex. O quàm quadrat vero, qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter.

Roga igitur divinum hunc Salvatorem, ut donet tibi cor purum, rectum & ſimplex. Roga, ut det tibi gratiam incedendi per vias rectas, atque ita ad regnum ipſius pervenias. Explora quâ tu viâ incedas, Examina an affectus tui rectà & ſimpliciter pergant ad

ad Deum, vel an devient, teque ad creaturas deducant?

II. *Conſidera* differentiam, quæ reperitur inter judicium CHRISTI & mundi de diverſis diſpoſitionibus & conditionibus perſonarum. CHRISTUS æſtimat cor ſimplex & rectum: mundus contemnit, & æſtimat defectum ingenii. CHRISTUS invitat ad humilitatem aut contemptum bonorum terreſtrium, ad patientiam, ad mortificationem: mundus ridet, fertur ad vana, ad deſiderandas & quærendas commoditates, ad jucundos animi ſenſus & gaudia hujus vitæ. Utri ex his fidem dabis? mavisne æſtimari à mundo & contemni à CHRISTO, vel contemni à mundo, & æſtimari à CHRISTO?

III. *Conſidera*, quod cum CHRISTUS ſit ſupremus tuus Judex, cui totius eſt vitæ reddenda ratio, à quo ultimam accipies ſententiam ſalutis aut condemnationis, præferenda eſſe principia CHRISTI ſine ulla comparatione illis, quæ præponit mundus, & conſequenter agendum conformiter ipſius verbis & exemplis, & non vanis diſcurſibus ac veſanis conſuetudinibus mundi.

Quid tibi adferet incommodi, id quod mundus de te dicet aut cogitabit, modò actiones tuas comprobet JESUS?

Unicè igitur ſtude placere divino huic Salvatori & vivere ſecundum maximas ſui Evangelii. Roga ſanctam Matrem, quæ perfectè eas ſecuta fuit, & ſimplicitate ac rectitudine cordis excelluit, ut obtineat tibi gratias pro hoc effectu neceſſarias.

* * *

MEDI-

MEDITATIO PRO TERTIA DOMINICA POST EPIPHANIAM.

Leproſus veniens ad eum. Matt. 8. *v.* 2. *Genu flexo.* Matt. 1. *v* 40. *Procidens in faciem rogavit eum dicens: Domine ſi vis, potes me mundare.* Luc. 5. v. 12.

I. C*Onſidera*, quantâ reverentiâ leproſus ad CHRISTUM acceſſerit ; flexit coram eo genua , procidit in terram , atque ut Deum ſuum adoravit. Et tu cum adis eumdem Salvatorem in Eccleſia , vel cum peragis preces, quem eidem exhibes honorem ? quem habes ſitum ? quomodo adoras ? quot hactenus defectus contra reverentiam & ſupremum reſpectum hujus divini Salvatoris debitum commiſiſti ?

Humilia te nunc igitur coram illo, & poſtquam eidem teſtatus es dolorem de tuis culpis , propone meliora & mox incipe emendationem.

II. *Conſidera* ingentem fidem quam pauper hic leproſus oſtendit, agnoſcendo & confitendo poſſe ſe à JESU Chriſto ſolâ illius voluntate ſalvari ; quod palam coram mundo , ſine ullo timore mali , quod Scribæ & Phariſæi, Chriſti inimici, poterant inferre, fuit conteſtatus.

Habeſne parem tu fidem ? credíſne firmiter divinum hunc Salvatorem poſſe omnes animæ tuæ infirmitates perſanare, atque ab omnibus tuis imperfectio-

ctionibus immunem reddere? Firma hæc fides grandis eſt diſpoſitio ad recipiendas ipſius gratias. Sed velleſne mundus ut ſciat,ſtatuiſſe te,omnino eſſe JESU Chriſti? nullone laboras reſpectu humano,naturali verecundia, vano aliquo timore, qui te impediat & retineat præſtare rem aliquam,quam divinus hic Salvator à te efflagitat?

III. *Conſidera* admirabilem pauperis hujus leproſi in voluntatem Filii Dei, reſignationem. Nihil petit, non rogat ut ſe ſanet,ut à lepra liberetur, contentus eſt dicere, *Domine,ſi vis potes me mundare*, ac ſi dixiſſet, ſi placet me ſanare; recipiam hanc ſanitatem, velut effectum tuæ miſericordiæ & impendam eandem mihi redditam in tuum ſervitium & gloriam.

Quod ſi non placet me ſanare, nec rogo nec deſidero ſanari, imò malo morbum quàm ſanitatem ſi tibi præplacet me infirmari. Quo de me cumque diſpoſueris modo, dummodo ſemper te amem,tibi benedicam tibique ſerviam ex toto corde.

Ecce methodum!juxta quam ſemper debes eſſe diſpoſitus præſertim tempore afflictionis, infirmitatis aut adverſitatis ſive in corpore ſive in anima. Propone igitur firmiter eidem te conformare.

Meditatio Pro Die Lunæ.

IESVS autem miſertus ejus,extendit manum ſuam: & tangens eum ait: volo, mundare, & cum dixiſſet, ſtatim diſceſſit ab eo lepra & mundatus eſt. Marc. 1. v. 41. & 42.

I. C*Onſidera*,quod JESUS CHRISTUS videns coram

coram ſe pauperem hunc leproſum genibus nixum, tactus fuerit compaſſione, non per ſimplicem naturæ compaſſionem; ſed per motivum perfectiſſimæ miſericordiæ, quæ eidem eſt propria, neque venit de cœlo niſi ut faciat miſericordiam.

Eheu quid tecum fieret, ſi non haberemus Salvatorem miſericordiâ plenum, nunquid ſat eſt nos dicere cum Propheta: *miſericordia Domini, quia non ſumus conſumpti in peccatis noſtris?* Thren. 3. v. 22. Benedic igitur & lauda divinam hanc miſericordiam, quaſque in te vides miſerias, ob has ſpera in JESU noſtro Salvatore. Roga eundem remedium & ſubſidium gratiæ, cum perfecta in ſuam miſericordiam fiducia.

II. *Conſidera* ſimul atque CHRISTUS reſpondit leproſo *volo, mundare*, perfectè mundatum fuiſſe.

Eheu! nequaquam eſt defectus in Salvatore quò minùs purgeris & ſaneris à lepra tuorum peccatorum, vitiorum & malarum conſuetudinum. Abundè teſtatus eſt ſe velle, dum non pepercit vel ultimæ guttæ ſui ſanguinis, ut omnes tibi gratias mereretur neceſſarias. Cur igitur tanto hæres tempore in tali vitio N.? cur mala iſta inclinatio N. regnat in te? nimirum vera tibi deeſt voluntas ut ſaneris. Cave tibi & concipe verum ac ſincerum propoſitum cooperandi bonæ iſti voluntati, quam habet CHRISTUS te ſanctificandi.

III. *Conſidera* CHRISTUM potuiſſe ſolo verbo, aut ſolâ voluntate ſine verbo mundare leproſum: Attamen ut magis expreſsè ſuum in ipſum teſtaretur amorem, contensâ manu eum attigit; licet leproſi horrorem creârent Judæis, qui ſuis eos urbibus proſcribebant; ſed CHRISTUS cum charitate recipiebat, neque ſolùm hos miſeros recipiebat; ſed etiam

iam advocabat & invitabat,ut ad ſe accederent. Recurre igitur ad bonitatem hujus Salvatoris, accede ad illum cum fiducia , roga ut ſuam ſuper te extendat manum,tangatque cor per ſuam gratiam,ut ſanentur omnes tuæ infirmitates.

MEDITATIO PRO DIE MARTIS.

Dicit ei: *Vade oſtende te Principi Sacerdotum*, Marc. 1. v. 44.

I. *Conſidera*,quàm exactè voluerit CHRISTUS veterem obſervari legem eo, quo durare debebat tempore , donec illi ultimum addidiſſet ipſe complementum quoad omnes figuras. Potuiſſet facilè diſpenſare cum leproſo,ne ſe oſtenderet Sacerdoti , ipſe enim magnus erat Sacerdos & Paſtorum Princeps; attamen tantum abeſt ut diſpenſaverit, ut etiam novum dederit mandatum,ut ſuæ ſatisfaceret obligationi.

Diſce hinc,quantopere deſideret divinus hic Salvator, ut quivis legi Eccleſiæ ſuæ ſe ſubmittat, exhibeat honorem ac reverentiam Prælatis , Paſtoribus, aliiſque legitimè Nomini ſuo Præpoſitis.

Examina,quomodò in hoc te puncto geras, & ſtatue deinceps in eodem futurum te fidelem.

II. *Conſidera*,Dominum mandâſſe leproſo, ut licet jam mundatus,oſtendat ſe Sacerdoti, ut agnoſcamus, quamquam per gratiam ſuam ſimus mundati à lepra peccatorum mortalium, nihilominus indigere nos,ut quotidie oſtendamus nos Sacerdoti,id eſt,frequentemus

mus Sacramentum pœnitentiæ, ut mundemur à peccatis venialibus, atque ab aliis animæ noſtræ ſanemur infirmitatibus.

O Quantam Sacramentum pœnitentiæ virtutem habet ſanctificandi animam & confortandi contra ſalutis noſtræ impedimenta. Examina quanti facias hoc Sacramentum & quo illud affectu accedas, quem fructum referas? & pete à Domino noſtro gratias ac diſpoſitiones neceſſarias ut dignè illud uſurpes.

III. *Conſidera*, ut ſæpè ac dignè te præſentes Sacerdoti in tribunali pœnitentiæ, oportere ut facias id ſummâ humilitate, agnoſcendo quàm indignus ſis gratiâ, quam tibi vult Deus per hoc Sacramentum conferre: debes accedere corde verè contrito & dolente de peccatis, quorum te accuſas, & licet non habeas niſi unicum peccatum veniale deferendum ad Confeſſionem, ſufficientem habes cauſam ingentem concipiendi de eo dolorem, quia hoc peccatum licet parvum, tantopere diſplicet Deo, ut Filius ejus JESUS Chriſtus æquè pro illo ac pro cæteris ſanguinem ſuum effuderit. Denique oportet cum hac contritione forte propoſitum conjungere evitandi peccata in confeſſione expoſita & ſerio in iis emendandis laborare.

Vide quo in puncto deficias, & adfer remedium.

* * *

MEDITATIO PRO DIE MERCURII.

Accedens unus Scriba ait illi: Magiſter ſequar te quocumque ieris. Matt. 8. v. 19.

I *Conſidera*, hunc Scribam magnam habuiſſe cauſam dicendi Chriſto JESU ſe ſtatuiſſe eum ſequi, quia alia non patet via ad vitam æternam, quàm in ſequela ejuſdem, eam ob cauſam. Ipſe in mundum venit, ut rectam nobis ad cœlum oſtendat viam.

Benedic & lauda ineffabilem divini hujus Salvatoris in te bonitatem, non miſit is ſolùm tibi Angelum velut Tobiæ, ut reducat; ſed ipſemet voluit ſe Ducem præbere in hujus vitæ peregrinatione.

O quanta ſecuritas, O quanta felicitas, Deo duce progredi! ſed quanta cæcitas, quanta dementia, deſerere hunc ducem & perire cum mundo?

II. *Conſidera*, quid ſit ſequi JESUM CHRISTUM? ſequendus eſt non pedibus corporis; ſed affectionibus animi & propoſitis cordis, quæ debet concipere; ſequi JESUM eſt imitari JESUM, hoc eſt proponere ſibi velut unicum exemplar actiones & vitam JESU, ſcilicet exercendo eaſdem virtutes, quas exercuit JESUS, humilitatem, patientiam, charitatem.

Nam velut S Petrus ait, ipſe nobis reliquit exemplum omnium virtutum, ut ſequamur veſtigia ejus.

Incepiſtine ſequi JESUM? aut an verum ſaltem habes deſiderium incipiendi & conformandi actiones

nes tuas vitâmque tuam ipſius vitæ & actionibus? macte animo & ſcito in ſolo principio latere difficultatem. Incipe ſuccurrente divinâ gratiâ, nec optimus deërit Salvator, ſed manum porriget ut aſſiſtat.

III. *Conſidera*, ut benè ſequaris JESUM, oportere ſæpe conjicere oculos animæ in JESUM, oportere conſiderare vitam & actiones, ut earum habeas notitiam, ſumaſque animum eaſdem exercendi quemadmodum ille exercuit. Quis enim ſervus eſt, qui renuat capeſcere viam, quam videt tenere Magiſtrum? Quis miles eſt, qui non ducat honori ſequi ducem in aſperam licet pugnam?

Lege igitur frequenter Evangelium & meditare, quæ fecit JESUS pro gloria ſui Patris & tua ſalute, ut iſta lectio & meditatio non ſolum te inſtruat, ſed etiam animet & ſtimulum addat ſequendi & imitandi JESUM.

Meditatio pro Die Jovis.

Magiſter ſequar te quocunque ieris. Matt. 2. v. 19.

I. *Conſidera*, quod ſequi & imitari JESUM, ſit eundem honorare & teſtari, quod verè eumdem amemus. Non enim ſequimur niſi quos vel æſtimamus, vel adamamus: atque idcirco quia tot es obligatus titulis honorare & amare JESUM, teſtare hunc amorem & honorem, quem eidem deſideras præſtare, offerendo eidem animum ſequendi & imi-

caudi exercendo eaſdem virtutes, quas ipſe exercuit tuaſque actiones conformando illis, quas ipſe elicuit.

II. *Conſidera*, ut perfectè ſequaris & imiteris JESUM, oportere magnos ſumere animos, quibus eum in omnibus ſine ulla exceptione ſequaris juxta ſtatum & conditionem in qua voluit, ut illi ſervires, atque ita ut tuum compares cor, debes eſſe paratus relinquere omnia & exequi omnia, quæ faciet te cognoſcere deſiderari à ſe, ita ut nullum habeas commodum, nullum oblevamentum, nullum honorem, nullam affectionem, quæ te impediat, quò minùs in omnibus expleas illius voluntatem. Examina an verè ſtatueris ita deinceps progredi & an non ſis facturus velut adoleſcens ille, qui abiit triſtis, cum intellexit omnia relinquenda, ut talem ſequatur Magiſtrum. Marc. 10. v. 22.

Quod ſi ſentias aliquam debilitatem & inertiam, roga divinum hunc Salvatorem, ut det tibi vires & animum acquirendi diſpoſitiones neceſſarias omnes, ut perfectè eum ſequaris.

III. *Conſidera*, ut aptiùs te diſponas ad ſequendum & imitandum CHRISTUM in exercitio magnarum & heroicarum virtutum, exercendas tibi eſſe magis communes & ordinarias.

Stude igitur imitari illius modeſtiam, charitatem, patientiam, imitare eum in actionibus ſuis exterioribus & quotidianis, in loquendo, in modo converſandi, in oculorum contuitu, in moribus, & crede quod nulla ſit vel nobilior vel ſalubrior occupatio, quàm ut quotidiè coneris in omnibus actionibus aſſimilari CHRISTO. Quia ſecuriſſimum prædeſtinationis ſignum conſiſtit in conformitate & ſimilitudine, quam habebis cum CHRISTO JESU.

ME-

Meditatio pro Die Veneris.

Vulpes foveas habent & volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. Matt.. 8. v. 20.

I. *Conſidera*, per hæc verba ſignificare Salvatorem noſtrum eum ſtatum, in quem ſe noſtrî demiſit causâ. Ille qui ſupremus erat Dominus cœli & terræ & abſolutus omnium hujus mundi theſaurorum Princeps, ille nihilominus noſtrî amore ad eam ſe redegit paupertatem, ut nihil in terra poſſideret, ubi caput reclinaret.

Perpende quis tibi verè ſit animus, dum vides Dominum & Deum noſtrum ad tantam perveniſſe paupertatem pro tua ſalute, quantas illi debes gratias pro tanto bonitatis exceſſu? quantopere meritò confunderis, dum agnoſcis, quàm tuarum commoditatum temporalium ſis ſtudioſus.

II. *Conſidera*, Filium Dei hanc eſſe paupertatem complexum, non ſolùm in una aliave occaſione; ſed à principiis ſuæ vitæ uſque ad mortem. Adi Spiritu ſpeluncam Bethlehemiticā in qua voluit naſci, hoſpitium ad quod confugit in Ægypto, parvam Nazarethi domunculam in qua cum Matre ſua & ſancto Joſepho fuit commoratus. Percurre omnia alia loca, in quæ ſeſe toto vitæ tempore recepit, & denique conſidera morientem in Cruce.

Ubique notabis ſigna extremæ & perfectiſſimæ paupertatis, quam ille ſuſtinuit non ſolùm, ut tibi ſu-

perabundanter ſua applicaret merita ; ſed etiam ut oſtenderet exemplar quod imitarere.

Perpende igitur quid facturus ſis,ut aliquo te modo conformes huic exemplari & in quo debeas ſingulariter hanc JESU CHRISTI imitari paupertatem.

III. *Conſidera* excellentiam hujus virtutis præcipuè conſiſtere in diſpoſitione interiore cordis,oportet, ut loquitur Dei Filius,eſſe pauperem ſpiritu, ut partem habeamus in regno cœlorum. Atque ut pauper ſis ſpiritu & corde , neque debes habere divitias in corde, neque cor in divitiis. Eradicanda eſt ex animo immodica terreſtrium bonorum cupiditas, quæ eſt radix omnium malorum.

Circumſpice,quid te oporteat facere,ut hanc ſpiritu paupertatem conſequaris & perfectè exerceas,juxta ſtatum ad quem divina te vocavit providentia.

MEDITATIO PRO DIE SABBATHI.

Quærite primum regnum Dei & juſtitiam eius, & hæc omnia adjicientur vobis. Matt. 6. v. 33.

I. CONſidera in his verbis Domini noſtri principiũ fundamentale pietatis Chriſtianæ,directè oppoſitum alii quod proponit mundus. CHRISTUS ait, quære primum & ante omnia regnum Dei, Regnum Dei eſt juſtitia,ſive Dei ſervitus, gloria atque adimpletio omnium quæ eidem placent. Mundus ait , quære primum & ante omnia proprium oblectamentum

tum

tum, propriam commoditatem, proprium lucrum & commodum. Utri libentiùs obtemperas? Examina cui tu potiſſimùm rei ſtudeas? Quò tendant tua deſideria, tui conatus, tua propoſita, tuæ intentiones?

II. *Conſidera*, quærere primùm regnum tantumdem eſſe, ac primarios cordis tui affectus tendere in cœlum, ſuſpirare continuò ad felicem illam regionem, aſpicere hanc terram ceu peregrinam regionem, præſentem vitam hanc velut peregrinationem, & paradiſum tanquam patriam noſtram & locum noſtræ manſionis ſempiternæ.

Vel etiam quærere regnum Dei, eſt deſiderare & procurare pro virili ut Deus regnet per ſuum amorem in omnium cordibus, quæ amoris capacia ſunt, ut omnium voluntates eidem ſint perfectiſſimè ſubjectæ, atque ut leges ipſius divinæ infallibiliter obſerventur.

Perpende quo te modo habeas in hoc argumento, & an verè quæras uno ex his modis Dei Regnum.

III. *Conſidera*, quanta ſit felicitas eorum, qui quærunt Regnum Dei, quid quærant, quid inveniant. Deus enim libenter ſe iis communicat qui ſuam deſiderant gloriam, imò donat eiſdem omnia alia quæ ne quærunt quidem bona, quæque Deus iis verè ſalutaria cognoſcit; Hæc eum complectuntur honorem, eam ſanitatem, divitias, commoditates, quæ iis conducunt, ut denique ad poſſeſſionem ipſiusmet Dei pertingant.

Roga Dominum gratiam, ut fias dignus hâc felicitate, nec aliud ſpecta in omnibus tuis actionibus, verbis, & cogitationibus niſi majorem ipſius gloriam: Quod ut conſequaris, implora interceſſionem

ſanctiſſimæ Virginis, quæ perfectiſſimè quæſivit & feliciſſimè invenit Regnum Dei.

MEDITATIO PRO DOMINICA QUARTA Poſt Epiphaniam.

Aſcendente eo in naviculam ſecuti ſunt eum diſcipuli ejus : & ecce motus magnus factus eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipſe vero dormiebat. Matt. 8. v. 23. & 24.

I. *Conſidera*, hanc tempeſtatem, quæ diſcipulis accidit, ſignificare eam, quæ quotidiè oritur in mari hujus mundi, quod conſcendiſti primo vitæ tuæ inſtanti, & expoſitus es infinitis procellarum agitationibus. Semper aliquis flat ventus, exurgit aliqua tentatio, & moleſtat, aut aliqua paſſio turbat ſerenitatem animi, aliqua triſtitia vel ſolicitudo. Interea tamen uſque adeò afficeris erga miſerabilem hanc vitam, in hac vis te ſtabilire, in hac ſtudes repetire quietem; ſed nunquam invenies, niſi JESUS imperet ventis & mari. Nam ab ipſo ſolo ſtat, ut cordis tui veram comperias pacem & felicitatem.

II. *Conſidera,* dormiviſſe JESUM & permiſiſſe ut fluctus irruerent in navim, & Apoſtoli verſarentur in periculo interitûs, ut diſcas, mirandum non eſſe, ſi permittat, ut perſonæ virtutibus præditæ & Sanctæ per tentationes & contradictiones exerceantur, & aquæ tentationum penetrent uſque ad animas eorum. Sa-

Satis eſt quod ipſe ſit cum illis, atque hoc unicum petendum eſt ab eo, ſæpe dicendo cum Job: *pone me juxta te*, Job. 17. v. 3. Tum ſurgant in me omnes tempeſtates inferni, omnes venti adverſitatum adflent, ut me ſubmergant & obruant, non timebo malum, modò ita ſim felix, ut tecum ſim.

III. *Conſidera*, JESUM permittere, ut tempeſtates exoriantur contra eos quos amat, ut probet eorum fidem, excitet ſpem, exerceat patientiam, ſtimulet ad quærendum à ſe ſubſidium ferventi oratione. Ecce fructum, quem deſiderat, ut capias ex tentationibus & afflictionibus quæ adveniunt. Serviant illæ tibi pro occaſione has virtutes eliciendi.

Concipe igitur jam modo propoſitum benè omnibus utendi probationibus, quas Deus immittit; Et veluti vix tranſit dies, quâ non ſentias vel tentationem vel moleſtiam, incipe iſta præſtare in pugnis levibus, quæ deſideras in aſperis & gravibus exercere.

MEDITATIO PRO DIE LUNÆ.

Et acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus: & ſuſcitaverunt eum dicentes: Domine ſalva nos perimus, & dixit eis IESVS: quid timidi eſtis modicæ fidei? Matt. 8. v. 25. & 26.

I. CONſidera, Apoſtolos videntes ſe periclitari de vita, recurriſſe ad JESUM, velut ad verum Salvatorem potentem ſalvare eos, & tueri contra omne naufragium.

Cape exemplum,quod ante omnia ſequendum eſt, cum ingruunt tempeſtates tentationum, quod eſt confugere ad eum qui ſolus poteſt ſalvare & ab omni liberare malo:

Non debes te detinere in reflexione ſuper te ipſum,aut examinando ipſam tentationem; ſed quam citiſſimè recurre ad Deum imitando Apoſtolos, dicendo cum Davide, *Salvum me fac Deus, quia intraverunt aquæ uſque ad animam meam.* Pſam. 68. v. 2.

II. *Conſidera* bonitatem CHRISTI erga ſuos, ſimul audivit vocem Apoſtolorum, ſimul ſe excitavit, & relictâ quiete iiſdem ſuccurrit, eoſdem eſt conſolatus,juſsitque ne timeant,pace animorum atque malaciâ reſtitutâ.

O quàm bonum eſt ſpem ponere in divino hoc Salvatore,fiduciámque omnem in ejus miſericordia atque amore. Etenim quis eſt, qui eum decenter invocavit & non eſt exauditus? quis eſt, qui in neceſſitatibus ſuis ad eum confugit & non ſenſit auxilium à miſericordia ipſius?

III. *Conſidera*,quod Dominus noſter laturus opem Apoſtolis,quam flagitabant, prius eoſdem de modicâ fide reprehendit,*quid*, inquit, *timidi eſtis modicæ fidei?* v. 26.

Applica tibi hæc verba JESU CHRISTI, an non eandem mereris ob modicam fidem reprehenſionem? Nam ex defectu fidei promanant vani timores, apprehenſiones, omnes inquietudines, inutiles ſolicitudines,quæ te affligunt.

Roga igitur eundem,ut augeat tibi fidem,atque ut gratiæ coopereris;elice ſæpe hos Fidei actus,præcipuè cum in periculo verſaris aut tentatione.

ME-

Meditatio pro Die Martis.

Tunc ſurgens imperavit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Matth. 8. v. 26.

I. Conſidera ſupremam JESU CHRISTI in omnes creaturas authoritatem, atque abſolutum in omnia elementa imperium, data eſt ipſi õnis poteſtas in cœlo & in terra, quidquid in toto reperitur univerſo praſtare eidem debet homagium, & flectere genua in nomine ipſius.

Adora divini hujus Salvatoris ſummam excellentiam, redde debitum illi honorem ac reverentiam, præſertim in Eccleſia, ubi re ipsâ eſt præſens in ſanctiſſimo Altaris Sacramento.

Agnoſce quanta ſit felicitas vivere ſub Imperio tam potentis Monarchæ, nil metue, cum quæſtio oritur de reddendo illi obſequio, præſta te dignum ut ſentias effectus illius protectionis.

II. *Conſidera* obedientiam & perfectam ſubmiſſionem, quam creaturæ licet inanimatæ exercent ad mandatum Supremi Domini JESU CHRISTI. Mandavit mari exſpumanti procellas ut quieſcat, atque eodem momento facta eſt tranquillitas, mandavit ventis ne ſpirent, & quamprimum quievêre. Sed quoties divinus hic Salvator mandavit animo tuo ut compeſceret motus Paſſionum inordinatarum, & non compeſcuit? Quoties mandavit linguæ ut taceret, oculis ut ſeſe deflecterent? auribus ut ſe obfirmarent?

rent? cordi ut ſe præſervaret? ſed obedientia nulla, confundere quod minus flexilis ſis ad vocem Salvatoris tui & Dei tui, quàm creaturæ & ſenſu & ratione deſtitutæ, omnia quæ in cœlo ſunt, in terra atque in inferno obediunt CHRISTO, ſolùm cor tuum obſtrepit & renuit ſeſe nutibus ipſius ſubjicere.

III. *Conſidera*, licet omni tempore atque in omni occaſione obediendum ſit CHRISTO, præcipuè tamen tempore tempeſtatis, ſive tentationis & afflictionis exercendam eſſe obedientiam & dependentiam à ſua voluntate, & ſucceſſione animi quam toleras, teſtandum nunquam te à ſubmiſſione quam Sanctiſſimæ illius debes voluntati deflexurum, quin potiùs ſecundum exemplum, quod divinus hic Salvator reliquit, ſæpe reiteranda ſunt verba, cum moleſtia & tentatio major ingruit, Deus meus & Pater meus non mea ſed tua voluntas fiat.

Meditatio pro Die Mercurii.

IEſus coëgit diſcipulos ſuos aſcendere navim. Marc. 6. *v.*45. ut ſe expectarent ab altera maris parte, ipſe ſolus *abiit in montem orare.* v.46. *& cum ſerò eſſet.* v. 47. navis in qua erant Apoſtoli agitabatur fluctibus, *& vidit eos laborantes in remigando, erat enim ventus contrarius eis. v.*48,

I. CONſidera, quomodo JESUS voluerit alterâ vice probare diſcipulos, cogens eos aſcende-

re

re navim ſine ſe, volente manere in terra ut oraret. Non eſt dubium quin fuerit iis moleſta hæc à ſuo Magiſtro ſeparatio. Maluiſſent morari cum illo in terra & ſe in ipſius Societate dare precibus, ſed ſtudium illi placendi nutuſque ipſius opere complendi, vicit, quam ſentiebant, conſcendendi navim repugnantiam.

Diſce hoc exemplo, quomodo ſubmittere te debeas cuicumque divinæ voluntati, & te applicare illi, quod obedientia præſcribit, eſto ſentias repugnantiam & appareat te à meliore occaſione avelli.

II. *Conſidera*, bonos hos diſcipulos mediâ nocte ventum habentes contrarium laborâſſe in remigando, contra maximos fluctus, quos optimè videbat divinus hic Salvator, oculo providentiæ omnes tenebras penetrante.

Hoc ipſum eſt quod & conſolari te debet & animare, ſi laboras aut pateris pro ſervitio divino, cogita quod te intueatur, ipſe videt omnes labores & moleſtias tuas. ſed ſi deſes ſis & puſillanimis, recordare quod videat tuam inertiam atque infidelitatem, quam in ſuo exerces obſequio. Nulla eſt nox, quæ te ab oculis ejus ſcientiæ abſcondat, qui ipſa cordis ſecreta & occulta penetrat.

III. *Conſidera*, dum diſcipuli connituntur fluctus perfringere, & contrarios ventos, ut ad præſcriptum à CHRISTO locum appellant, declinare, ecce divinus hic Salvator opem laturus advenit; non expectat ut auxilium implorent; ſed ipſas prævenit preces.

Ita ſe gerit erga fideles ſuos famulos, dum in ſumma verſantur anguſtia, nam oculi Domini ſuper juſtos, ut liberet eos à malis & repleat bonis. Eſto igitur fidelis & promptus ad præſtandum omnia, quæ

Deus

Deus à te deſiderat, & quæcunque tibi eveniant dic cum Propheta: Pſal. 22. v. 1. & 4. *Dominus regit me & nihil mihi deerit, nam & ſi ambulavero in medio umbra mortis non timebo mala, quoniam mecum es.*

MEDITATIO PRO DIE JOVIS.

At illi, ut viderunt eum ambulantem ſupra mare, putaverunt phantaſma eſſe, & exclamârunt. Marc. 6. v. 49.

I. *Conſidera*, trium eſſe perſonarum genera in mundo, quæ admodum diverſa habent judicia de rebus ſpiritualibus, alii apprehendunt phantaſma pro CHRISTO, & hi ſunt, qui decipiuntur à proprio judicio & amore, exiſtimantes ſuas imaginationes eſſe inſpirationes, & paſſiones motuſque inordinatos virtutes. Iram interpretantur zelum, affectus & ſtudia ſenſualitatis, effectus amoris.

Cave ex eorum ſis numero, diffide plurimùm tibi ipſi, & ſis docilis ad ea; quæ Deus tuo diſponit commodo.

II. *Conſidera,* alios apprehendere CHRISTUM pro phantaſmate, tales ſunt qui temerarium ferunt judicium de proximi actionibus, qui opinantur virtutem aliorum eſſe hypocriſin, devotionem ſuperſtitionem, & pietatis exercitia, quæ ſuo non concordant genio, traducunt ceu imprudentiam & indiſcretionem.

O quam

O quàm periculoſum eſt hujuſmodi de aliis judicium, quàm ſæpe fallunt ſeipſos, aſpicientes pro phantaſmate hoc,quod ſolida eſt virtus, condemnant quod Deus probat,contemnunt coram oculis Dei dignum honore & encomio. Quis es tu qui temet ingeris huic de fratre tuo judicio ? quid vituperas quem non nôſti ? memorare valde diverſas eſſe cogitationes Dei à cogitationibus hominum, & virtutem quæ coram mundo eſt nihili, maximi eſſe coram Deo.

III. *Conſidera,* alios eſſe prudentiores præcedentibus,dum mediam ſectantur viam. Non facile credunt cuivis Spiritui,nec facilè quemcumque contemnunt; ſed velut Apoſtolus ait: probant Spiritus an ex Deo ſint, atque hâc ratione neque apprehendunt phantaſma pro CHRISTO, neque CHRISTUM pro phantaſmate.

Cæterùm, præcipuum medium diſcernendi Spiritus,eſt petere gratiam & lumen à Deo, & procedere intentione purâ in corde ſimplici & recto, confugere ad eos,quos nobis Deus propoſuit duces, nec aliò in operibus tendere, quàm ut placeamus Deo eumque glorificemus.

Hæc fac,nec unquam periculosè decipieris.

MEDITATIO PRO DIE VENERIS.

Diſcipulis præ horrore clamantibus,dixit JESUS: *confidite, Ego ſum nolite timere.* Marc. 6. v. 50.

I. CONſidera bonitatem JESU CHRISTI, qui ambu-

ambulans ſuper aquas ut diſcipulis in diſcrimine ſuccurreret, & advertens horrorem quo corripiebantur, dum videbant eum appropinquare, ſine mora ſe manifeſtavit & verbis eos ſolatus, metu liberavit. Nam proprium eſt CHRISTO, diſſipare vanas formidines & apprehenſiones atque excitare perfectam in ſua bonitate fiduciam.

Roga eumdem, ut hunc in anima tua operetur effectum, ut fuget & proſcribat mundanum timorem oppoſitum amori ipſius, atque ut tribuat tibi animos vireſque omnia ſuſcipiendi & perficiendi, quæ cognoſces eidem in ſervitio ſuo placere.

II. *Conſidera*, quàm efficax & potens ſit verbum CHRISTI, quando eidem placet loqui ad cor, non eſt opus niſi unico verbo ut cor mutetur, & momento unico ex timido reddit magnanimum, ex conſternato conſtantem, ex triſti jucundum, ex inquieto & turbato tranquillum & perfectâ pace beatum.

Roga divinum hunc Salvatorem, ut eidem libeat loqui ad cor tuum, dic illi cum Samuële: *Loquere Domine quia audit ſervus tuus* vel cum Davide: Pſal. 34. v. 9. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem.* Quando igitur optimus hic Salvator loquetur tibi per inſpirationes & per gratiam ſuam, eſto fidelis non ſolùm in audiendo; ſed etiam in conſervando in corde tuo verba ipſius, námque ſunt verba vitæ æternæ.

III. *Conſidera* ejuſdem ſermonis, à CHRISTO prolati, diverſos effectus. Etenim dum Apoſtolis dixit turbatis & terrore correptis, *Ego ſum*, animus eiſdem rediit & ſolatium, dum autem protulit eadem verba armatis militibus qui in hortum Oliveti eundem capturi adveniebant, territi & conſternati ſunt adeò, ut in terram conciderint, unde hæc differentia? niſi

niſi à diverſa diſpoſitione eorum, quibus loquitur. Loquitur JESUS animæ juſtæ;& divinum hoc verbum implet eam pace & conſolatione ineffabili: loquitur peccatori; & velut tonitru complet horrore.

Perpende igitur, quo tu ſis modo diſpoſitus, ut audias vocem JESU. Eſtne idem tibi animus, qui populo dicenti: non loquatur nobis Dominus, ne moriamur; vel potésne dicere cum ſponſa fideli: *Anima mea liquefacta eſt, ut locutus eſt.* (dilectus.) Cant. 5. v. 6.

MEDITATIO PRO DIE SABBATHI.

Domine, ſi tu es, jube me ad te venire ſuper aquas; at ipſe ait: veni. Matt. 14. v. 28.

I. C*Onſidera* ferventem S. Petri in CHRISTUM amorem: videns Magiſtrum, non poteſt ſe continere; ſed inflammatus deſiderio præſentiæ, rogat permiſſionem veniendi ad eum ſuper aquas, quod naturæ viribus fieri non poterat. Hoc enim proprium eſt divino amori, cum cor totum poſſidet, ut nihil videatur impoſſibile, cum laborandum eſt pro dilecto, Ad Philip. 4. v. 13. *Omnia*, inquit Apoſtolus, *poſſum in eo, qui me confortat.*

Quod ſi res exigua te impediat, ne præſtes, quæ Deus optat à te: ſi levis difficultas à bono inchoato te avellat, vel etiam ob eam abſtineas à conamine, ſit tibi ſignum exigui amoris; & roga Divinum Salvatorem, ut ſuccendat cor tuum eo igne, quem

ipſe venit mittere in terram. Luc. 12. verſ. 49.

II. *Conſidera* quod ſimul atque CHRISTUS Petro dixit,ut veniat , fervens hic Apoſtolus ſine mora ulteriore aut aliqua reflexione deſcendit de navi in mare,& cepit ire ſuper aquam ad JESUM. Ecce tibi ſpeculum promptæ & ſimplicis obedientiæ , quam præſtare debes voluntati divinæ , cum ea rem à te aliquam deſiderat. Non ſunt conſulendæ rationes humanæ , aut facienda dilatio;ſed cum intima ſubmiſſione , conjunctâ perfectâ fiduciâ, obediendum eſt.

Esne tu ità conſtitutus? quid te tardat, quò minus hanc ſimplicem Deo promptámque præſtes obedientiam?

III. *Conſidera* Dominum noſtrum permiſiſſe,ut S. Petrus,ambulans ſuper aquas,expertus ſuam ſenſerit debilitatem,ut acciperet anſam ſe humiliandi,ne hoc miraculum ſuæ tribueret virtuti aut merito. Perculſus igitur fuit timore, videns turbinem venti exſurgere; quia deflexit oculos à JESU,ut videret, à quo latere hæc tempeſtas veniret,& cum aquæ immergeretur,exclamavit,*Domine ſalvum me fac*, & continuò JESUS extendens manum apprehendit eum, ac periculo extraxit.

Diſce hoc exemplo bona , quæ facis,tibi nequaquam attribuere,multòminus quæ tibi largitur Deus. Humilia te in actibus præſtantioribus, dúmque incurris periculum,aut invadit te violenta tentationum tempeſtas,conjice oculos in JESUM, invoca,ut gratiâ ſuâ ſuccurrat,& ſi metuas, ne indignus ſis,qui audiaris,confuge ad ſanctiſſimam illius Matrem, atque in omnibus, quæ ingruent, tempeſtatibus, oculos ad hanc myſticam ſtellam leva , roga, ut per influxum

San-

Sanctiſſimæ ſuæ & digniſſimæ interceſſionis ſuccurrat tibi,atque aſſiſtat.

MEDITATIO PRO DOMINICA QUINTA POST Epiphaniam.

Simile factum eſt Regnum cœlorum homini, qui ſeminavit bonum ſemen in agro ſuo; cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus & ſuperſeminavit Zizania. Matt. 13. v. 24. & 25.

I. CONſidera juxta explicationem à CHRISTO factam hujus parabolæ per ſemen bonum intelligi juſtos & electos,& per Zizania peccatores,ac reprobos,inter quos hæc eſt differentia, quod juſti ſint tales non per propriam virtutem; ſed per gratiam JESU CHRISTI, quâ illos prævenit, excitat,& defendit,cui ipſi fideliter cooperantur. At peccatores ſunt tales, per propriam perverſitatem atque Diaboli inſtigationem.

Examina nonnihil,ex quorum tu ſis numero, & an non ſis Zizanium in agro Eccleſiæ. Magnus Apoſtolus ait de ſemetipſo: 1.Cor. 4. v. 4. *Nihil mihi conſcius ſum*; *Sed non in hoc juſtificatus ſum*, attende quid debeas de te ipſo dicere & cogitare.

II. *Conſidera* inimicum ſuperſeminâſſe Zizania, dum homines dormirent; hoc eſt dicere: peccata atque animi inordinatos affectus ordinariè originem trahere ex defectu vigilantiæ;propterea CHRISTUS

ſæpè nos monet in Evangelio, ut vigilemus, ſtemus ſuccincti lumbos, habentes lampades ſuccenſas in manibus, quibus nihil aliud intendit, quàm ut continuò applicemus curas mentemque attentam noſtræ ſaluti; examinando diligenter conſcientiam, accuratè obſervando actiones noſtras, verba & cogitationes, ut nihil oculis Dei ingratum nos prætereat.

Perpende, quomodo ſecutus ſis hactenus hanc Salvatoris tui doctrinam, & quomodo exequi impoſterùm deſideres.

III. *Conſidera*, Zizania cum bono ſemine in eodem creviſſe campo, eâdem perfuſa pluviâ, eâdem nutrita tellure, nihil interim de natura mutâſſe. Ita res ſe habet cum peccatoribus & reprobis, qui cum juſtis & prædeſtinatis in eadem reperiuntur Eccleſia CHRISTI, eadem participant Sacramenta, eandem habent inſtructionem. Attamen ob perverſitatem animi hærent ſemper in peccato. Judas recepit à charitate CHRISTI eoſdem favores & ſigna dilectionis, quæ reliqui Apoſtoli; nihilominus Judas ſemper permanſit.

Cave, ne in eodem naviges mari. Humilia te, & confuge ad infinitam CHRISTI miſericordiam & charitatem, ne maneas Zizanium; ſed muteris per vim gratiæ ipſius in granum electum.

Meditatio Pro Die Lunæ.

Accedentes autem ſervi Patrisfamilias, dixerunt ei; Domine nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? unde ergo habet Zizania? & ait illis: inimicus homo fecit. Matt. 13. v. 27. & 28.

I. Conſidera, cum ingenti admiratione obſervari

ri multitudinem fermè innumerabilem malorum, & exiguum numerum bonorum in horto Eccleſiæ, qui eſt opus manuum Filii Dei: tot ſpinas aliaſque herbas inutiles inter pauca lilia,& proficuas plantas,tot hæreſes perverſaſque doctrinas, tot impietates,impuritates, injuſtitias, blaſphemias, & alias ſimiles abominationes.

O Domine, nonne bonum ſemen ſeminâſti in agro tuo? nonne ſanguinem tuum effudiſti velut ſementem ſalutis pro cunctis hominibus? unde igitur hæc tanta Zizaniorum copia, iſta electorum granorum paucitas? tot peccatores, qui te contemnunt, ſeque condemnant, dum pauci juſti, qui in via virtutis perſeverant; ſed non licet in hac ulteriùs quæſtione progredi,nec explorare abyſſum judiciorum Dei.Humilia te ſub potenti ipſius manu, utere benè oblatis tibi gratiis,& operare ſalutem tuam in timore & tremore.

II. *Conſidera,* habere te majorem admirationem, tot in agro animæ tuæ reperiri Zizania, tot imperfectiones & vitia, tot paſſiones & affectus inordinatos, tot perverſas inclinationes & diſpoſitiones,poſt tantum gratiarum & mediorum numerum, quæ Deus,ut te ſanctificaret, donavit; unde igitur hæc impia Zizania?

Quapropter obſtupeſce,aut multò potiùs humiliare & confundere coram Deo,& ſimul inquire in te ipſo cauſas ac radices tuorum errorum atque defectuum,ut opportuna adhibeas remedia.

III. *Conſidera* reſponſum Domini noſtri, qui ait: inimicum hominem hoc malum feciſſe, per quem primariò intelligitur dæmon, qui per ſuas tentationes eſt peccatorum, quæ committuntur,cauſa, unde diligenter cavere tibi debes. Per hunc quoque ini-

micum hominem intelligitur ea, quæ in te eſt, concupiſcentia, atque tui ipſius amor inordinatus, qui omnium quoque malorum eſt cauſa. Hinc audiendus eſt CHRISTUS, qui docet, ut abneges te ipſum, id eſt, ut bellum indicas inimico, qui in te eſt, homini mortificando paſſiones atque inclinationes, ſubjiciendo carnem Spiritui, & Spiritum Deo. Concipe ergo animosè propoſitum pugnandi cum hoc inimico, reſiſtendi generosè in omnibus illis occaſionibus & perſiſtendi in hac pugna & lucta uſque ad extremum vitæ halitum: pete à Domino noſtro, ut hoc propoſitum in opus exequendi animos tibi vireſque neceſſarias largiatur.

MEDITATIO PRO DIE MARTIS.

Servi autem dixerunt ei vis, imus & colligimus ea? & ait: non: ne fortè colligentes Zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum. Matt. 13 v. 28. 29.

I. *Conſidera*, Zelum juſtorum eradicandi atque impediendi mala ſubinde nimiùm effervéſcere, verbi gratiâ, ſi in fervore uno nitenturr ictu omnes tollere defectus, quos advertunt ſive ſi optarent, ut Zizania eradicarentur ante tempus, non conſiderantes, qui hodie ſunt perverſi, craſtinâ in bonos mutari poſſe, & patientiam, quâ peccatores tolerantur, eſſe medium converſionis.

Quis tuus eſt Zelus? An nō ſubinde, cum occaſio occur-

currit, eſt motus iræ, aut affectus amoris proprii potiùs, quàm Zelus à Spiritu Divino profectus?

II. *Conſidera*, miſericordiam & bonitatem infinitam Dei erga peccatores, quæ ex hac elucet parabola. Simul atque Lucifer ac complices peccârunt, nullo pœnitendi ſpatio relicto, eradicati ſunt à Deo ex agro ſuo, atque in ignem infernalem projecti. Interea peccatores pluribus tolerat annis, excitat eoſdem per gratiam ad converſionem, exſpectat eos cum patientia & longanimitate, neminem volens perire; ſed omnes agere pœnitentiam.

Eheu! quis eſſes, ſi Deus te non tolerâſſet in peccatis tuis, & exſpectaſſet? ubinam eſſet nunc tua anima, ſi cum in peccatum lapſa eſt, non fuiſſet præventa, excitata, & adjuta per divinæ ſubſidium gratiæ? Cave, hâc gratiâ abutare, dicariſque eam in vanum accepiſſe.

III. *Conſidera* alterum quoque in eadem expreſſum parabola bonitatis divinæ effectum, dum vult, ut parcatur Zizaniis, ſinanturq; creſcere ex amore tritici, cui miſcebantur. Nempe Deus frequenter cohibet vindictam, & tolerat perverſos ex affectu in bonos, cum quibus morantur. Ita Sodomorum pœna dilata fuit propter Loth juſtum, idemque promiſit Deus, ſe perverſam hanc urbem non everſuram, ſi in ejus circuitu decem reperirentur juſti, vides igitur quanti Societas bonorum ſit facienda? qui non ſolùm ſuo tibi proſunt exemplo; ſed etiam divinam avertunt vindictam per virtutem ſuam bonaque opera.

* * * * *

H 4 ME-

MEDITATIO PRO DIE MERCURII.

Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem, & in tempore meſſis dicam Meſſoribus : colligite primum Zizania , & alligate ea in faſciculos ad comburendum , triticum autem congregate in horreum meum. Matt. 13. v. 30.

I. *COnſidera*, triticum & Zizania in agro permixta conſiſtere uſque ad tempus meſſis , id eſt, bonos & malos , juſtos & peccatores mixtim uſque ad conſummationem ſeculi degere; & velut Diabolus ſemper conatur propagare pravitatem & peccata, & facere miniſtros iniquitatis; ſic Divina providentia non deſinit proſpicere ſuæ ſemper Eccleſiæ de perſonis juſtis ac virtute præditis, quantumlibet reluctetur dæmon,& ſemper religio ac pietas ſuos ſit habitura ſeductores.

Ne igitur mirare magnum reperiri peccatorum numerum in mundo,Deus nihilominus ſibi reſervat plures bonos & fideles famulos, qui magnam in hac vita partem cogniti non ſunt in hac vita, niſi ipſi ſoli. Roga Deum, ut eorum ſis ex numero, atque in hunc te offeras finem.

II. *Conſidera*, Triticum & Zizania non ſolùm ſtare permixta,ſed ſimul etiam creſcere, uſque ad meſſem : ſcilicet boni creſcunt in virtute & Sanctitate; mali vitium addunt vitio,peccatum peccato , & ſuperbia eorum ſeſe magis magiſque elevando aſcendit. Vide tu, cujus claſſis ſis. Si illius,qui conſtanter in via virtutis faciunt progreſſus, recordare ſumen-

dum

dum ad meſſis uſque tempus incrementum, ſive quod idem eſt, ſine deſidia augendas cum labore virtutes, atque in glorioſo hoc labore uſque ad mortem perſeverandum. Roga igitur Deum magnanimam perſeverantiam.

III. *Conſidera* tempore meſſis univerſalis, hoc eſt, die judicii extremi Angelos velut divinæ miniſtros juſtitiæ ultimam Supremi Judicii ſententiam executuros, congregabunt bonos ab omnibus angulis terræ, portabuntque in cœlum; ſed malos alligabunt in faſciculos, mittentque in ignem æternum.

Quis tunc poterit tam fortibus voluntatis divinæ executoribus ſeſe opponere? quis poterit rumpere vincula, & divinæ manus juſtitiæ effugere? Nunc tu, ſi voles, potis es hoc declinare infortunium. Nil obſtat, quominus per auxilium gratiæ divinæ tibi paratæ in eo te ponas ſtatu, ut cum tritico in horreum æternæ gloriæ transferare.

MEDITATIO PRO DIE JOVIS.

Cumque vidiſſet (Dominus) à longe ficum habentem folia, venit, ſi quid fortè inveniret in ea, & cum veniſſet ad eam, nihil invenit præter folia: non enim erat tempus ficorum (cui maledixit, & tota exaruit.) Marc. 11.

I. CONſidera, hanc ficum eſſe figuram animæ malè correſpondentem gratiæ divinæ, nec ſecundùm conditionem ferentem fructus, quos Deus deſiderat. Contingere poteſt, ut ſe occu-

paverit exterioribus pietatis actionibus; ſed ſi propriis deſtituta eſt virtutibus,ſi nec bona exerceat opera,nec ſatisfaciat obligationi ſuæ conformiter ſtatui, non habet,niſi folia & externam apparentiam, quâ mundum decipere poteſt; ſed non Deum.

O quot hodie ſunt ficus hujus generis in horto Eccleſiæ? quot Chriſtiani magnam præſeferunt exteriùs pietatem, nec unâ virtute ſolidâ interiùs præditi? Cave, hujus ſis farinæ.

II. *Conſidera*, quæſiviſſe Dominum fructus in hac ficu,licet non eſſet tempus ficorum; attamen quia non invenit niſi folia,eidem maledixit: ut diſcas ferendos tibi eſſe operum bonorum fructus ſtatui tuo proprios, non certo ſolùm, ſed toto vitæ tempore. Nulla hic ætas,nullum negotium,nulla occaſio excuſat. Si deſis officio, contingit,quod dicitur in Evangelio,eo tempore,eâ horâ,quâ minimè putaveris, veniet Filius Dei,& ſi fructus in te debitos non comperiet, quos poſt receptas tot gratias proferre debebas, malediceris.

Roga Dominum,ut à tanto te malo præſervet.

III. *Conſidera*, Filium Dei ſimul maledixiſſe ficui, ſimulque eam aruiſſe, nec ullum unquam fructum protuliſſe.

Ecce figuram illius mali, quod accidit animæ debitos fructus haud ferenti; ſed exteriora ſibi bona ſufficere exiſtimanti, ſine ullo ſtudio veram ſolidamque virtutem acquirendi. Anima,quæ gratias à Deo communicatas in vanum recipit,dignam ſe reddit,ut Deus alias plures ſubtrahat,cadatque ipſa in ſterilitatem ſpiritualem, ac denique vitam gratiæ perdat, proximaque æternæ fiat damnationi. Imprime tibi firmiter hunc ſterilitatis ſpiritualis ſtatum, ut declines, propone denuò fideliter cooperari gratiis divinis.

Ro-

Roga infinitam Dei miſericordiam per JESU CHRISTI merita, ne ſubtrahat, ſed augeat potiùs ſuas in te gratias.

Meditatio Pro Die Veneris.

AMEN dico vobis, quia publicani & meretrices præcedent vos in Regno Dei. Matth. 21. v. 31.

I. C*Onſidera*, quibus hæc CHRISTUS dixerit, nempè Scribis & Phariſæis, qui erant addicti jejunio, qui magnas largiebantur Eleëmoſynas, qui frequentabant templa & ſæpè vacabant orationi, & tamen Divinus hic Salvator, qui ipſa erat Veritas, iis declarat publicanos & peccatrices in Regno Dei præceſſuros.

O quàm ingens eſt differentia inter judicia divina & humana! ô quantâ eſt opus humilitate & diffidentiâ in ſe ipſo, ſuoque de bonis operibus ſenſu ei, qui aliquem ſe feciſſe in virtute progreſſum ſibi videtur. Cogita, quanti te ipſum debeas facere, & in quotum velis eſſe numero?

II. *Conſidera*, quales perſonas CHRISTUS ſuo in Regno Phariſæis præponat. Hi ſunt publicani ob expilationes atque exactiones infames; peccatrices, quæ exiſtimationis & honoris fecère jacturam, & tamen inter miſeras has perſonas reperiuntur, quæ poſt veram peccatorum pœnitentiam altiorem obtinebunt gradum gloriæ, quàm plures alii, qui hujuſmodi peccata non commiſerunt.

Hinc diſce, nullam unquam apud teipſum perſonam

nam contemnere, licet magnis implicata ſit peccatis, nec de ejus ſalute deſperare.

Scisne tu, an non illa perſona, à qua propter peccata abhorres, ſit per ſuam pœnitentiam ampliùs meritura, quàm tu per omnia tua opera? fortaſſis te beatum æſtimabis, ſi infra pedes ipſius in gloria Paradiſi conſideas.

III. *Conſidera*, ſi non debes apud temetipſum contemnere peccatores & peccatrices, quantò pluris debeas æſtimare & reverentiam exhibere perſonis virtuti deditis, licet in iis aliquem obſerves nævum. Etenim is non impedit, quò minus apud Deum in eminenti ſint gratiæ & Sanctitatis gradu, & conſequenter magis diligantur à Deo, quàm tu cum omnibus tuis putatis bonis operibus, quæ fortaſſis corrupta ſunt per ſuperbiam tuam atque præſumptionem. Honora igitur atque æſtima dona Dei in tuis proximis, & ſemper inferiorem tibi locum occupa, quia, Domino affirmante, qui ſe humiliabit, exaltabitur, & qui ſe exaltabit, humiliabitur.

MEDITATIO PRO DIE SABBATHI.

Nolite judicare ſecundùm faciem, ſed juſtum judicium judicate. Joan. 7. v. 24.

I. CONſidera, magnas perturbationes aut confuſiones reperiri inter homines, unde plures aliæ exurgunt, in quas prolabuntur; quòd de rebus ſecundùm faciem aut apparentiam externam, & non ſecundùm veritatem ferant judicium. Hinc oritur magis affici nos erga perſonas exteriùs venu-

venuſtas, præferri à nobis divitias paupertati, audiri concionatores libentiùs eleganter, quàm piè concionantes, majora impendi ſtudia, ut evadamus docti, quàm virtuoſi.

O quot perſonæ capiuntur externâ rerum ſpecie, umbram pro veritate amplectentes!

Explora diligenter animum hâc ſuper re tanti momenti, & indaga, qualia tu feras de rebus judicia, an ſecundùm faciem, an juxta veritatem procedas.

II. *Conſidera*, univerſa hæc judicia ordinariè lædere charitatem proximi, & bonas præterea actiones magnam partem corrumpere. Hinc non ſolùm iniquè judicas alios; ſed etiam temet decipis in electione & praxi virtutum; magis curas opera oculis hominum apparentia, quàm occulta & Deo ſoli conſpicua. Opera, quæ exerces, non ſunt niſi ex parte bona, nec amplius curas, quàm ut mundus ea approbet, ſuſque deque habitâ intentione, quâ illa exequeris, quam mundus non videt. Denique arbitraris te benè proceſſiſſe, ſi creaturæ approbant, nec æſtimas, quanti ea habeat Deus.

O quot perſonæ in magno illo die deceptas ſe reperient, *quando Deus illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium*. 1. Cor. 4. v. 5. Judicabit ille non ſecundùm faciem, ſed ſolam veritatem: perpende, quid te tunc ſit futurum?

III. *Conſidera*, ut judicetur non ſecundùm faciem, ſed veritatem, attendendum, ut procedatur non ſecundùm lumen naturæ; ſed fidei; non juxta opinionem hominum, ſed principia CHRISTI

Perpende, quid Divinus hic Salvator dixerit de humilitate, patientia, paupertate, imò quid non ſolùm dixerit; ſed ipſemet exercuerit Applica tuis hanc regulam cogitationibus, deduc Spiritum tuum

in omnibus viis ſuis ad claritatem hujus luminis, & nunquam tuo judicio aberrabis. Atque ut hujus claritatis copioſiùs fias particeps, confuge ad illam, quæ ſolem juſtitiæ & veritatis in lucem edidit. Roga, ut pro te intercedat, obtineatque tibi radium hujus luminis, qui te ſingulariter illuminet.

MEDITATIO PRO SEXTA DOMINICA POST EPIPHANIAM.

Simile eſt Regnum Cælorum grano ſinapis, quod eſt minimum omnibus ſeminibus. Matt. 13. v. 31. & 32.

I. *CONſidera* Regnum Cœlorum, quod eſt Eccleſia militans & triumphans, eſſe ſimile parvo ſinapis grano. Primò quantum ad ſuum caput CHRISTUM JESUM, qui in ſua incarnatione, in nativitate, in vita, in morte adeò apparuit parvus, ut Propheta de ipſo dixerit, eum eſſe *vermem & non hominem, opprobrium hominum & abjectionem plebis.* Pſal. 21. v. 7. Sed poſt hanc abjectionem Pater ſuus *exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine ejus* (adorabili) *omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Ad Philip. 2. v. 2.

Honora, benedic, & lauda Divinum hunc Salvatorem, in quocunque ſit ſtatu. Adora & glorifica eumdem æquè in ſua abjectione atque exaltatione. Humilia te per imitationem ipſius, ut Deus te exaltet.

II. *Con-*

II. *Conſidera*, eandem Eccleſiam ſimilem eſſe grano ſinapis,non ſolùm ſecundùm caput; ſed etiam ſecundùm nobiliora ſua membra,qui ſunt Sancti & juſti. Hi ſunt (velut juxta Sapientem ipſimet reprobi fatentur) quos mundus contemnit & reſpuit , vita ipſorum virtuoſa æſtimatur ſtultitia, devotio puſillanimitas. Hi petuntur calumniis,perſecutionibus affliguntur , illuduntur ; ſed Deus illos inter chariſſimos numerat filios, & Magnates eorum quærunt apud divinam Majeſtatem interceſſionem.

Vide , quæ ſit in Regno Dei procedendi ratio: oportet eſſe parvum,ut magnus evadas ; debes te ipſum abjicere,&c,velut Apoſtolus docet, annihilare, ut dignè thronum gloriæ conſcendas.

Examina,quomodo hoc in genere ſis diſpoſitus.

III. *Conſidera*, Eccleſiam JESU CHRISTI ſimilem inſuper eſſe grano ſinapis,quantum ad ſuum initium atque in terra progreſſum. In principio nihil erat illâ vilius, nihil contemptibilius. Quis unquam putâſſet duodecim piſcatores, pauperes, ſimplices, idiotas,quales erant Apoſtoli,potuiſſe,non dicam,inchoare,ſed vel in ſe ſuſcipere prædicationem Evangelii per totum terrarum orbem,& converſionem tot millionum creaturarum tam vehementer idololatriæ addictarum. Et tamen per virtutem CHRISTI parvum hoc granum excrevit in arborem. Tam parva in principio Eccleſia ita aucta eſt & multiplicata , ut ramos & brachia ſua expanderit uſque ad remotiſſimas hujus univerſi partes.

Agnoſce in hoc admirabilem Divinæ potentiæ & ſapientiæ effectum,gratias age,quod Eccleſiæ tantum dederit incrementum, & quod in ejus ſis ſinu natus. Conteſtare,velle te ceu filium hujus Eccleſiæ obedien-

dientiſſimum vivere ac mori. Roga, ut te contra inimicos veritatis tueatur.

MEDITATIO PRO DIE LUNÆ.

Regnum cœlorum ſimile eſt grano ſinapis. Matt. 13. v. 31.

I. *Conſidera*, regnum cœlorum eſſe ſimile ſinapis grano, quantum ad media, quæ Deus præſcribit, ut eò perveniamus. Horum primum eſt fides, quæ, ſi conſulantur ſenſus, & ratio humana, videtur infirmitas mentis aut ipſa dementia; namque juxta Apoſtolum credere in JESUM CHRISTUM eſt gentibus ſtultitia & Judæis ſcandalum: & tamen, velut addit Apoſtolus 1. Cor. 1. v. 24. ipſe eſt Dei virtus & Dei ſapientia iis, qui vocati ſunt & à gratia illuminati. Et re ipsâ quando fides jecit radices, & cepit germinare in corde, operatur mutationes & effectus admirabiles, efficit, ut calcetur pedibus vanitas mundi, contemnātur divitiæ, abnegentur commoditates, & velut Salvator noſter ait, Marc. 9. v. 22. *Omnia poſſibilia ſunt credenti* firmiter eas veritates, quæ ſpectant ad ſalutem.

Age Deo gratias pro Dono ſalutis, quod in ſancto baptiſmo recepiſti, roga eundem, ut illud in te adaugeat, eum in finem exerce frequenter in animo actus illius.

II. *Conſidera* granum ſinapis repræſentare quoque Sacramenta per Chriſtum inſtituta pro noſtra ſanctificatione; hæc res admodum exiguæ apparent, nam quid

quid videmus in baptiſmo, niſi parum aquæ effuſæ, in confirmatione & extrema unctione parum olei, & ſic de reliquis, & tamen nec poſſumus explicare, nec etiam concipere pro dignitate miros, quos in recipientibus dignè, producunt effectus: Aperiunt cœlum, & claudunt infernum; conferunt nobis gratias ſine numero, applicant nobis ineffabili quâdam ratione virtutem & efficaciam ſanguinis JESU CHRISTI pro nobis effuſi; deniquè uniunt nos ipſi gratiarum omnium fonti, ut ex illo hauriamus pro noſtra diſpoſitione, & capacitate.

Perpende, quoties horum donorum particeps fueris, atque Sacramenta receperis; et ſi effectus ſuos non ſint operati, id redundare in exiguam tuam diſpoſitionem. Humilia te coram Deo, & propone meliora.

III. *Conſidera* per idem granum ſinapis ſignificari virtutes, quæ nobis inſtar ſcalæ ſerviunt, ut ad regnum cœlorum conſcendamus. Nihil minoris in mundo habetur, quàm virtus: humilitas, mortificatio, manſuetudo, patientia ridentur, & tamen hæc plurimi fiunt à Deo, qui minimum actum virtutis dignum æſtimat novâ paradiſi coronâ.

Deſidera igitur ardenter theſaurizare in cœlo, dumque tempus largitur Deus, labora pro æternitate, & recordare mortuum te non niſi vel bona vel mala opera comitari.

* * *

Meditatio pro Die Martis.

Simile eſt regnum cœlorum homini, quærenti bonas margaritas. Matt. 13.

I. *Conſidera* omnes homines quærere bona, atque nullum non aſpirare ad felicitatem. Hic illis appetitus innatus eſt, eoſque continuò ſtimulat; ſed malè procedunt in hoc ſuo deſiderio, hinc pauciſſimis proſperè ſuccedit. Aliqui quærunt, ceu pretioſam margaritam, felicitatem divitiarum, alii magnificentiam hujus mundi, alii recreationes & voluptates; ſed nihil inveniunt in his rebus, Sunt qui incumbant in ſcientiam humanam, alii in virtutem politicam, alii ſatagunt converſationis & amicitiæ civilis aut ſimilium rerum: ſed in omnibus his rebus non eſt hoc, in quo Deus verum animæ noſtræ bonum poſuit & felicitatem.

Filii hominum, clamat Propheta, *uſquequò gravi corde, ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?* Pſal. 4. v. 3. Vide, ne ſis ex illis, quos Propheta alloquitur.

II. *Conſidera* veras Chriſtianorum margaritas eſſe virtutes quas Chriſtus nos docuit verbo & exemplo, Hæ virtutes verè ſunt & bonæ & pretioſæ, tam propter ſuum excellentiam, quàm præterea, quod verè bonos ſuos reddant profeſſores, eorumque animas uniant omnium bonorum fonti, & perfectam tribuant quietem ac felicitatem. Quæ tua eſt harum virtutum æſtimatio, humilitatis, inquam, charitatis, patien-

tientiæ? quæriſne has margaritas? O ſi earum agnoſceres pretium! O ſi ſcires, quanti unus valeat virtutis actus pro æternitate, majore eas ſtudio ſectare-re, quàm ſectatus ſis.

III. *Conſidera,* Chriſtum hoc exemplo nobis proponere mercatorem in aliqua regione peregrinum, ex qua brevi debebat proficiſci, ut redeat in patriam. Hic nullo modo ſe detinuerit, ut colligat nucum putamina, aut alia minimi valoris; ſed ſtuduerit pro virili navem ſuam complere rariſſimis & pretioſiſſimis mercibus, ut magno poſt reditum lucro eas divendat.

Bene igitur dictum erit, quod *filii hujus ſæculi prudentiores* ſint & providentiores, Luc. 16. v. 8. in negotiis ſuis temporalibus, quàm Filii luminis in iis, quæ ſalutem concernunt. Quid te detines in hoc mundo, qui non eſt, niſi locus tranſitûs, ex quo primo quovis die debebis diſcedere? Quid feciſti pro cœlo & æternitate?

Perpende bene, & applica te ad hoc, quod die diſceſsûs optares facturum.

MEDITATIO PRO DIE MERCURII.

Simile eſt regnum cœlorum homini quærenti bonas margaritas. Matt. 13.

I. C*Onſidera* diverſa media, quæ ſunt uſurpanda, ut quæras & invenias has pretioſas virtutum Chriſtianarum margaritas. Primum eſt oratio, nam, velut dixit Dominus noſter, Luc. 11. v. 10. *Omnis,*

qui petit, accipit, & qui quærit, invenit, & pulſanti aperietur. Sed ut primo hoc medio bene utaris, oportet, ut omnem ponas fiduciam in meritis divini tui Salvatoris, neque quidquam rogabis, niſi quod tuæ expedit ſaluti.

Examina, quomodo hoc medio utaris? quâ intentione fundas preces? quidnam ordinariè petas? Eſtne, ut tibi largiatur gratiam te humiliandi, patientiam exercendi, obediendi ſanctiſſimæ Dei voluntati? Si ita facias, invenies, quod quæris.

II. *Conſidera* alterum in hunc finem medium eſſe lectionem piorum librorum. Qui ſunt velut apothecæ ſanctæ, quas magni Sancti inſtituerunt, & pretioſis his margaritis ſuas locupletarunt animas, quin & magni peccatores invenerunt ſubinde in iis ſuam converſionem atque ſalutem.

A te ſtat, ut ſimilem ex hac ſancta lectione capias fructum; ſed formanda eſt intentio pura rectaque, amotâ curioſitate, ſolus ſpectandus eſt profectus ſpiritualis, debeſque te inter legendum docilem præbere luminibus & motibus ſpiritûs Sancti, ac ſolicitè conſervare bonos affectus, quos tibi communicavit; eoſque data occaſione in opus ipſum redigere.

Examina te, an ita lectionem obeas ſpiritualem.

III. *Conſidera* tertium medium pro reperiendis his virtutum cœleſtibus margaritis eſſe, ut quæras & haurias ex fontibus Salvatoris, quæ ſunt Sacramenta. Quod ut fauſtè & cum benedictione ſuccedat, cor ſit bene diſpoſitum; cæterùm non lucrum ſed damnum referes maximum. Examina, quomodo te ad Sacramenta, quæ frequentiùs recipis, præpares? quâ fide, quâ humilitate, quâ devotione accedas? Certus eſto, ſupra omnia conducere plurimùm, in eo tempore vitæ hujus, ſe ponere ſtatu, qui requiritur, ut dignè reci-

recipiantur ſacra hæc myſteria, præſertim illud, quod complectitur infiniti pretii margaritam pro redemptione mundi donatam.

MEDITATIO PRO DIE JOVIS.

Inventâ unâ pretioſâ margaritâ, abiit & vendidit omnia, quæ habet, & emit eam. Matt. 13. v. 46.

I. CONſidera, per hanc margaritam intelligi CHRISTUM, cujus ſancta humanitas ceu margarita inæſtimabilis concepta in ſinu puriſſimæ Virginis per virtutem Spiritûs Sancti, qui ſuper illam effuſus eſt ſicut ros cœleſtis, eamque operatione planè cœleſti fœcundam reddidit ſine Virginitatis præjudicio.

Repende Deo gratias pro gratia per ineffabile Incarnationis ſui Verbi myſterium toti naturæ humanæ collata. Adora Verbum hoc Incarnatum, teque offer eidem Deo homini in omni humilitate, & præſta homagium atque debitum obſequium.

II. *Conſidera* hanc margaritam ſolùm eſſe unicam; namque ſolus ille eſt Dominus, unicus Magiſter, unicus Redemptor, unicus Dei hominumque mediator, ille eſt unum illud neceſſarium, ſine quo poſſumus nihil, cum quo poſſumus omnia. Ipſe unica eſt noſtræ ſpes ſalutis, nam velut ſanctus Apoſtolus Petrus ait, Act. 4. v. 12. *Non eſt aliud nomen ſub cœlo, datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Apprehende bene hanc veritatem, hanc dependentiam abſolutam,

quam debes habere à JESU CHRISTO, tanquam à tuo Supremo Redemptore, Juſtificatore, & Glorificatore. Sine illo es pauper, miſerabilis, omnino denudatus. Sed cum Illo & per illum omnis generis gratiæ & benedictiones conferuntur. Vide igitur, quantâ cum reverentiâ, quanto amore eum proſequî, & quantâ in ipſum debeas ferri fiduciâ.

III. *Conſidera* hanc margaritam unicam infiniti eſſe pretii, quia merita Divini hujus Salvatoris ſunt valoris infiniti, neque contentus fuit partem nobis aliquam communicare; ſed ex ineffabili ſua charitate prorſus omnia, nihil ſibi reſervando, non ſolùm in communi; ſed unicuique in particulari donavit & applicavit. Omnino omnes labores ipſius tui ſunt, jejunia tua ſunt, vigiliæ per noctem orantis tuæ ſunt, opera ſancta tua ſunt, itinera tua ſunt, paſſiones & defatigationes tuæ ſunt. Denique pro te ligatus eſt, vinculis conſtrictus, ſpinis compunctus, & demum Cruci affixus, ut per mortem ſuam tuæ opus redemptionis abſolveret. Vide, quanti pretioſam hanc debeas æſtimare margaritam, quæ ſine comparatione omnes ſuperat theſauros. Quantâ debeas vigilantia ac ſtudio cavere, ne illius patiare jacturam, fructuque meritorum Divini hujus Salvatoris priveris.

MEDITATIO PRO DIE VENERIS.

Simile eſt Regnum cælorum theſauro abſcondito in agro. Matt. 13.

I. *Conſidera* per theſaurum hunc ſignificari CHRISTI

STI Divinitatem in humanitate abſconditam, velut Apoſtolus ait Ad Coloſſ. 2. v. 3. in hoc Salvatore eſſe *Omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditos*, atque in ipſo habitare plenitudinem divinitatis: & conſequenter in ipſo eſſe omnes virtutes, omnes perfectiones, omnes gratias; & de plenitudine ejus nos omnes accepimus.

Admirare infinitam Divini hujus theſauri excellentiam. Obſtupeſce ob cœcitatem hominum, qui occupantur in quærendo cœno terreſtri, & negligunt theſaurum hunc inæſtimabilem, qui eos æternùm locupletaret: cave, ne cadas in ſimilem cœcitatem.

II. *Conſidera* hunc theſaurum non æſtimari à mundo, cui ille eſt incognitus. *Ita Pater*, inquit CHRISTUS, *Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.* Luc. 10. v. 21.

O quàm periculoſum eſt ſectari ſapientiam mundi, & ſeſe ſecundùm ipſius principia dirigere; quia impedit cognitionem theſauri divini, qui cum non cognoſcitur, nec ſolicitè quæritur. Si ergo deſideres cognoſcere magnitudinem atque excellentiam hujus theſauri; ſi aveas illius participem fieri: humilia te, eſto parvulus in oculis tuis, abnega falſam prudentiam & ſapientiam mundi, ut amplectaris humilitatem CHRISTI.

III. *Conſidera* felicitatem animæ, quæ hunc invenit theſaurum, & conſequenter animata charitate dicere poteſt: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Cant. 2. v. 16. O quàm illa perſpectam habet vanitatem, caducitatem, inſufficientiam theſaurorum mundi, qui plerumque non ſunt niſi theſauri maledictionum, per quos theſaurizantur ira & indignatio Dei;

 fate-

fatetur illa anima cum Apoſtolo perlibenter: *quæ, inquit, mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter CHRISTUM detrimenta, Verumtamen exiſtimo omnia detrimenta eſſe propter eminentem ſcientiam JESU CHRISTI Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci & arbitror, ut ſtercora, ut CHRISTUM lucrifaciam.* Ad Phil. 3. v. 7. 8.

Agnoſce, & guſta bene hanc veritatem, quod CHRISTUS ſolus tuus ſit theſaurus, & quod extra illum non reperies niſi maledictionem & miſeriam. Dirige igitur ad hoc lumen omnes tuas actiones.

MEDITATIO PRO DIE SABBATHI.

(Homo inventum theſaurum abſcondit) *& præ gaudio illius vadit, & vendit univerſa, quæ habet, & emit agrum illum.* Matth. 13. v. 44.

I. CONſidera inventorem theſauri ſecundùm ea, quæ in hac continentur parabola, tria feciſſe. 1. eundem abſcondit, ut diſcamus, ſi quæ gratia ſingularis à Deo accepta, non eſſe eâdem gloriandum, nec de ea loquendum, pro acquirenda inani æſtimatione aliorum; ſed occultandam ſub voto ſilentii & humilitatis, velut Sancti fecerunt, & præſertim Regina Sanctorum, quæ, Angelo teſte, invenit gratiam coram Deo, & conceptum per S. Spiritûs operationem authorem gratiæ, tam pretioſum theſaurum, abſcondit, ut oportuerit Deum mittere Angelum, qui S. Joſepho eundem aperiret.

Roga

Roga ſanctiſſimam & humillimam Virginem, ut tibi eandem virtutem exercendi divinæ miſericordiæ obtineat ſubſidium.

II. *Conſidera* ſecundum opus, quod theſauri inventor exercuit, fuiſſe gaudium. Et ſanè ſi in hac lachrymarum & miſeriarum valle vera reperitur gaudendi cauſa, eſt illa, quando divinum reperimus theſaurum, gratiam, inquam, coram Deo, & quando Spiritus S. nobis teſtimonium reddit internum, eſſe nos filios Dei. Sic Sanctiſſima Virgo habens divinum hunc ſalutis theſaurum, dicebat, *exultâſſe Spiritum ſuum in Deo ſalutari ſuo.* Luc. 1. v. 47. Hoc eſt unicum illud bonum, cujus poſſeſſio Chriſtianum animum verè ſatiat, & licet ſine illo mundus offerat omnem ſuam & magnificentiam & delicias; non invenit velut, Sapiens inquit, niſi *vanitatem & afflictionem.* Sap. 1. v. 14.

Præſta te dignum, ut intres in hoc Domini gaudium, & guſtes hanc pacem, quæ ſuperat omnem ſenſum, abdicando à te ſincerè falſa mundi gaudia, & perfectè te Deo conſecrando.

III. *Conſidera* tertium opus inventoris theſauri eſſe, quod vendiderit omnia, emendi agrum illum ſtudio, in quo theſaurus erat abſconditus. Hoc ipſum Dominus noſter alibi in Evangelio clariùs declaravit, ubi ait, *qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt eſſe meus diſcipulus,* L. 14. v. 33. *& qui vult poſt me venire, abneget.* (Non ſolum ſua bona, ſed etiam) *ſemetipſum.* Luc. 9. v. 23.

Vide, quid te oporteat facere, ut hunc cœleſtem acquiras theſaurum. Abſtrahendum eſt cor ab omnibus mundi rebus, abſcedendum eſt tibi à te ipſo tuiſque inclinationibus & deſideriis. Quod ſi debilitatem ſentias ita te comparandi, accede ad theſaura-

riam gratiarum, ut per ſuam impetret interceſſionem opem neceſſariam, ut divino hoc te æternùm reddas dignum theſauro.

MEDITATIO PRO DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Simile eſt regnum cælorum homini patriſfamilias, qui exiit primo manè conducere operarios in vineam ſuam. Matt. 20. v. 1.

I. Conſidera Patrem hunc familias eſſe Deum, qui eſt Supremus & totius univerſi Dominus; gubernat tamen ea creaturas ſuas bonitate, ut videatur magis patrem agere familias, quàm vel Monarcham vel Regem. Hinc eſt, quod ipſe nobis præſcripſerit orandi modum, dum eum vult, ut in orationibus noſtris, appellemus *Patrem noſtrum*.

Quanta felicitas talem habere Dominum & talem Patrem? ſed quanta quoque infelicitas tam malè reſpondere paternæ huic Dei in te charitati? Examina igitur te, an cum Patrem appellas Deum, Filiali in ipſum feraris animo.

II. *Conſidera* hanc vineam patrisfamilias eſſe Eccleſiam, quam plantavit & irrigavit filii ſui ſanguine, eidemque ſuâ providentiâ tam ſolicitè proſpicit, ut ſub hac protectione portæ inferni nequeant eidem prævalere. Hoc eſt dicere, nulla conventicula, nulla molimina hæreticorum, ſchiſmaticorum, aut aliorum infidelium poſſe eam deſtruere; ſed eam ſemper contra hoſtes ſuos triumphaturam.

Refer-

Referto gratias Deo, quod voluerit te naſci Filium ſuæ Eccleſiæ, & pro omnibus inſtructionibus, luminibus, gratiis, quas in ſinu tam bonæ Matris es conſecutus. Perpende nonnihil, quot ſint creaturarum in mundo milliones, quæ ſunt privatæ hac felicitate.

Et quæ tua foret conditio, ſi natus eſſes parentibus hæreticis aut infidelibus? ſtude conſtanter debitam huic Eccleſiæ præſtare obedientiam in fide, quæ tibi in Baptiſmo infuſa fuit. Recordare poſſe te hanc fidem perdere per unicum diſcrimen, aut infelicem curioſitatem, aut periculoſam converſationem. Roga igitur Deum, ut ab hoc te malo præſervet.

III. *Conſidera*, Diſplicere Deo, ſi quis in ſua moretur Eccleſia otioſus atque ignavus. Omnibus laborandum eſt in hac vinea, & cuivis ſuo conformiter ſtatui bona ſunt opera exercenda, ut digni eâ fiant mercede, quæ fidelibus operariis præparata eſt. Et tu quomodo te in hac Eccleſiæ vinea geris? quomodo tempus impendis? Quid præſtas in obſequio Dei? quomodo tua pietatis ordinariæ obis exercitia? imprime tibi firmiter, ſervum inutilem atque inertem ligatis manibus & pedibus in tenebras eſſe exteriores ejiciendum. Matt. 25. v. 30.

MEDITATIO PRO DIE LUNÆ.

Paterfamilias exiit primo manè, conducere operarios in vineam ſuam. Matt. 20. v. 1.

I. CONſidera, eſſe nos incapaces præſtandi propriis viribus opus bonum niſi per gratiam excitemur

mur internam. Quam ob rem Divinus hic Paterfamilias, qui eſt *dives in miſericordiâ.* Ad Epheſ. 2. v. 4. Principio diei nos vocat, ut eamus laboratum in vinea. Hoc eſt, quod eo tempore, quo lumen rationis incipit in animo noſtro emicare, ſuas nobis gratias largiatur, ut convertamur ad bonum & ad virtutem.

Admirare admirabilem hanc Dei erga homines, præſertim erga te, bonitatem; deinde perpende, quanto te tempore inceperit per gratiam ſuam ad exercendam virtutem, advocare. Humilia te, dum advertis, quàm malè divinæ huic vocationi reſponderis, & propone emendationem.

II. *Conſidera* adhuc, quod Divinus hic Paterfamilias vocet unumquemque, atque invitet ſummo manè ad laborandum in ſua vinea; nihilominus paucos eſſe, qui primâ diei horâ ſuæ juventutis correſpondeant: vocationi; pauciſſimos eſſe, imò fermè nullos, qui primam innocentiam in Baptiſmo obtentam conſervent & tamen tantæ eſt bonitatis Deus, ut nullo ceſſet die vocare, & per gratiam excitare mortales.

Age gratias Deo, pro hac miſericordia erga homines, & præcipuè pro patientia & longanimitate, quâ illos expectat; explora an non & tu ſis unus eorum, qui negligendo gratias patientiam Dei exerceas?

III. *Conſidera* diverſa media, quibus Deus in nos, ad ſuum ſervitium & praxin virtutum vocando, utitur. Aliquoties adhibet vocem concionatorum, ſubinde lectionem piorum librorum, ſubinde exempla perſonarum devotarum, ſubinde adhibet afflictionem in hunc finem; admonet nos per morbos, excitat per tentationes, quas provenire nobis permittit, alia nos vice animat per conſolationes & favores par-

particulares, aliàs per ſecretas ad cor loquitur noſtrum inſpirationes.

Si igitur, velut Propheta inquit, vocem Domini audieris, noli obdurare cor tuum. Dic illi frequenter cum Samuele. 1. Reg. 2. v. 16. *Ecce ego Domine, quia vocaſti me:* vel cum Davide. Pſal. 56. v. 8 *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum* (ad omnes voluntates tuas.)

MEDITATIO PRO DIE MARTIS.

Cum ſerò factum eſſet, dicit Dominus vineæ procuratori ſuo: voca operarios, & redde illis mercedem. Matt. 20. v. 8.

I. *Conſidera* per diem, quâ operarii laborant in vinea, ſignificari noſtræ tempus vitæ, quod eſt admodum breve reſpectu æternitatis; veſper hujus diei eſt mortis hora, quâ operarii vocantur, ut recipiant mercedem. Hoc ipſum eſt, quod bonos jure animat, ut in ſuis perſeverent laboribus, & Sanctis pro Dei ſervitio conatibus, quoniam labores brevi finientur; ſed parata merces durabit æternùm.

O quantum gaudium, ô quantum ſolatium fideli ſervo, cum audiet vocem Domini ſui vocantem, ut accedat & de ſua accipiat manu coronam gloriæ! A te ſtat; ut hujus fias particeps felicitatis.

II. *Conſidera* adhuc certiſſimum eſſe, hanc vitam cum laboribus citò finiendam; attamen incertiſſimum diem atq; horam quâ hic finis venturus eſt. Sunt, quibus, velut ait Propheta, ſol incumbat in pleno meri-

die

die,& clariſſimâ diei horâ velut in nocte obruuntur. Et Dominus nos monet ſe venturum,cum minimè putabimus. Reflecte te nonnihil,quot, ſint perſonæ per mortem aut aliud accidens inopinum ſublati, quodque aliis contigit, poſſe & tibi accidere. Labora ergo,dum dies durat. Applica fideliter tempus reliquum illi,quod Deus à te deſiderat , & præſta obſequium, quod cognoveris eidem eſſe acceptum.

III. *Conſidera* laborem operariorum finiri , cum nox advenit,in qua, velut Filius Dei ait, nemo poteſt laborare Hoc eſt dicere , per mortem ceſſare merita noſtra vel demerita, & poſt hanc vitam , neque pœnitentiæ , neque bonorum operum futurum locum. Aliunde non morimur , niſi ſemel:& arbor, quò ceciderit, ibi erit æternùm. In tua eſt poteſtate, ut,durante hâc vitâ, opera facias digna vitæ æternæ. Sed eodem inſtante,quo mors occludet oculos, nihil poteris operari.

Perpende ſeriò hanc veritatem,& ut hæc te excitet cogitatio,tu quemvis diem benè impendas, cum neſcias,quis eorum debeat eſſe ultimus.

MEDITATIO PRO DIE MERCURII.

Dicit Dominus vineæ procuratori ſuo , voca operarios,& redde illis mercedem. Matth. 20. v. 8.

I CONſidera Deum Patrem dediſſe Filio ſuo JESU CHRISTO, ut homini,poteſtatem,& authoritatem vocandi, & citandi ad tribunal ſuum omnes poſt

poſt mortem homines, ut judicentur, & recipiant ab ipſo, vel mercedem, vel pœnam, prout meriti, vel demeriti per ſua fuerint opera. Statutum eſt, velut S. Apoſtolus loquitur. Heb. 9. v. 27. *Statutum eſt hominibus ſemel mori, Poſt hoc autem judicium*, 2. Cor. 5. v. 10. *omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal CHRISTI, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.*

Habelne firmam hujus veritatis fidem? crediſne te citò? citandum ab hoc Supremo judice, ut ab ejus percipias ore ultimam, ſive vitæ, ſive mortis ſententiam? Ex operibus tuis agnoſces, habeaſne vivam fidem, fortemque hujus veritatis, qualem debes habere, perſuaſionem.

II. *Conſidera* eodem, quo anima ſeparata erit à corpore, inſtanti, eandém comparituram coram Divino hoc Judice, ſine ullo aſſiſtente exceptis bonis maliſve operibus. Fortaſſis plures tibi aſſiſtent morienti, tui parentes & propinqui ultimum tibi tribuent obſequium, Confeſſarius & Sinceri amici conabuntur tibi adferre opem, & ſolatium pro bono animæ, ſed hanc animam è corpore profectam, nil tunc juvabit amplas habuiſſe divitias in mundo, magnis fuiſſe honoratam officiis, multos numeraſſe amicos famuloſque. Maximus Regum non habebit majorem comitatum, quàm ſuorum minimus ſubditorum. Quilibet pro ſe rationem reddet, nec Judex quidquam attendet aliud, quàm bona, vel mala opera, à quovis patrata, & ſtatum, in quo horâ mortis fuit inventus. Quis tibi tunc animus erit? quid cogitabis, cum anima tua ſola in hoc ſtabit judicio? ô quàm illa different ab his, quæ nunc animum occupant!

III. *Conſidera* hoc judicium eo in loco futurum, in quo quis moritur. Supremi enim hujus Judicis potentia ad omnia ſe loca extendit, quæ plena ſunt gloriâ ſuæ Majeſtatis;non erit neceſſe, ut anima aliò transferatur ad ſubeundum judicium.

Locus igitur mortis tuæ locus eſt judicii tui. Sed ubinam morieris? an terrâ, an aquâ, an rure, an in villa,an domi tuæ,an extra illam? Eheu nihil horum tibi conſtat. Tu quo igitur-cunque fueris loco, poteris ſemper cum veritate cogitare & dicere, fortaſſis hic locus meo eſt judicio deſtinatus; & cum ordinariè in tuo ſis conclavi,in quo ſemper capis quietem in lecto,quoties illud ſubis,vel quoties intras lectum, cogita credi à te poſſe, hic ultimam tibi ſententiam pronunciandam; vide igitur, quænam,ex his cogitationibus,propoſita debeas concipere?

MEDITATIO PRO DIE JOVIS.

Voca operarios,& redde illis mercedem. Matt. 20. v. 8.

I. CONſidera proceſſum, qui in particulari hoc judicio obſervabitur, ad quod quivis hominum citabitur à CHRISTO. Primò indagabuntur exactè, atque examinabuntur rigoroſè omnes vitæ actiones; fiet inquiſitio uſque ad verba otioſa & cogitationes inutiles. Ipſa verò bona opera actuſque virtutum examinabuntur & ponderabuntur in trutina Sanctitatis, &, velut, Propheta ait, juſti judicabuntur.

Eheu! quanta formido miſeram occupabit animam, cum ſe videbit coram judice, cui nihil eſt abſconditum! quantum obſtupeſcet, quando videbit in aprico poſitas ſuas omnes cogitationes, affectiones, atque omnia cordis ſecreta manifeſtata!

Perpende ſeriò, hoc tibi aliquando ſubeundum eſſe examen; & cogita, quid eo temporis articulo voles te feciſſe.

II. *Cogita*, dæmonem non abfuturum ab hoc judicio, ut accuſatoris fungatur officio coram Supremo hoc Judice; denumerabit omnia peccata, quæ commiſit anima ipſius inſtinctu, omnes conſenſus, quos præſtitit ſuis perverſis ſuggeſtionibus; nec oblivîſcetur levis momenti omiſſiones, exiguas negligentias; exaggerabit minimas actionis malæ circumſtantias: adducet omnes gratias & favores, quos à Deo eſt conſecuta, ut clariùs ejus appareat ingratitudo & ignorantia.

Vigila igitur, & cave tibi ab hujus inimici tuæ ſalutis cunctis conatibus. Rejice cum horrore ejus ſuggeſtiones, reſiſte animosè omnibus tentationibus, expunge per pœnitentiam omnes culpas præteritas, quarum te poſſet arguere; atque ita deinceps te gere, ut nihil in te queat reperire, cujus te accuſet coram ſupremo Judice.

III. *Conſidera* moleſtiſſimam in hoc judicio accuſationem propriam futuram conſcientiam, quæ eo momento ſummè affliget animam peccatricem objiciendo crimina, & cauſando, ut ſentiat onus peccatorum commiſſorum importabile, in quibus tunc anguſtiis erit miſerabilis creatura. Quando videbit omnem erga ſe Dei miſericordiam, omnes gratiás receptas, omnia media ſalutis oblata, per ſuam incuriam fuiſſe inutilia.

Diſpone igitur negotia conſcientiæ tuæ, dum tempus habes, & ſecundùm S. Apoſtoli conſilium, judica temetipſum ſine fuco, ut rigoroſum hoc judicium declines, quod ſi feceris, clementem invenies Judicem.

MEDITATIO PRO DIE VENERIS.

Tolle, quod tuum eſt, & vade. Matth. 20. v. 14.

I. *Conſidera* hæc verba, in hac parabola ad unum operarium prolata, eſſe prototypon ultimæ illius, quam CHRISTUS pronunciabit, ſententiæ in particulari, contra improbos, judicio. Cuique dicet illorum, tolle, quod tuum eſt, & recede à facie mea. Eheu? quid eſt hoc, quod infelix reprobus ſuum eſſe dicere poteſt, niſi maledictionem Dei, ignem infernalem atque deſperationem? Ecce fructum peccatorum, ecce hæreditatem per totam æternitatem; *Ignis & ſulphur & Spiritus procellarum pars calicis eorum*, ait Propheta. Pſal. 10. v. 7.

Cave, ne formidabilia hæc verba te unquam concernant. Eheu, ſi JESUS te repellit, & rejicit, quis te recipiet? ſi tua à te aufert bona, quæ dedit, & relinquit ſolùm, quod tuum eſt, quid retinebis?

II. *Conſidera*, eadem verba in alio poſſe ſenſu intelligi, ut contineant prototypon iſtius ſententiæ, quam CHRISTUS proferet in favorem electorum. Tolle ô ſerve fidelis, quod tuum eſt, quod promeritus es per bona opera tua, gratiâ meâ ſuccurrente; accipe coronam juſtitiæ, quæ tuæ debetur fidelitati; accipe poſſeſſionem regni, quod tibi præparatum eſt à conſtitutione ſæculi in mercedem illius, quod pro me feciſti, & in meo ſervitio paſſus fuiſti. O

O dulcia & deſiderabilia verba ab ore Supremi hominum Judicis! verba ſalutis, & vitæ æternæ! Haud dubiè Divina hæc verba implebunt animam dulcedine, & ſuavitate inexplicabili, liquefiet præ gaudio & amore, cum hæc ſui audiet Dilecti verba. Poteris cum Divina gratia, ſi voles, te eâ reddere dignum benedictione. CHRISTUS illud deſiderat, ille te invitat, propterea ſuum profudit ſanguinem, & vitam obtulit in Sacrificium. Vide, quomodo huic bonæ reſpondere velis volũtati, quâ te fuit proſecutus.

III. *Conſidera* utramque ſine mora ſententiam executioni dandam. Peccatrix anima quamprimum omnibus, quæ adhuc poſſidet, tanquam rebus jam non ampliùs ſuis, ſpoliabitur; auferetur illi lumen fidei, omne ſperandi argumentum. Nullus ſupererit pœnitentiæ locus; hinc incidit non ſolùm in triſtitiam inconſolabilem; ſed in æternam etiam deſperationem.

Econtra anima juſta veſtietur amictu juſtitiæ, atque ornamentis ſalutis. Fides compenſabitur lumine gloriæ, ſpes poſſeſſione Supremi boni, Charitas ſummam conſequetur perfectionem, & conſummationem per beatificam cum Deo unionem, qui Deus eſt totus amor & Charitas. Elige nunc alterutrum ex his finibus, quem velis attingere; & ſtatue in particulari, quid facto opus, ut per Dei gratiam illum merearis obtinere.

MEDITATIO PRO DIE SABBATHI.

Sic erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi. Matt 20. v. 16

I. CONſidera, ex hoc Dei judicio cognoſci, quantum

tum cogitationes Dei diſtent à cogitationibus hominum; dignum admiratione eſt, noviſſimos eſſe primos, & primos noviſſimos; hoc eſt dicere, quod plures videbuntur contempti, afflicti, derelicti, perſecutionem paſſi in hoc mundo, ſupremum occupare locum in gloria: contra verò honorati in eodem mundo, ob eorum potentiam & divitias excipi, ut Sceleratos & condemnatos ad æternum opprobrium. Qui habiti ſunt ſapientes, & virtute præditi à mundo, videbuntur rejecti & reprobati à Deo: & contra, qui erant ignoti hominibus, & qui in ſecreto humiles Deo ſervierunt fideliter, illorum virtus manifeſtabitur, & honorabitur, & præmiis afficietur.

Non cura igitur opiniones, quas alii de te tuiſque operibus poſſunt formare; ne deſidera probari ab hominibus. Quære unicè placere Deo in ſecreto cordis, & præſtare, quod eidem gratum eſſe cognoſces.

II. *Conſidera* tempore hujus vitæ nemini conſtare, ſitne poſt mortem inter primos futurus, an ultimos. Præſentem animæ ſtatum, ne ipſi agnoſcimus quidem; neſcimus, ſimuſne amore, an odio digni. Conſequenter non debemus bonam, nec de nobis, nec de operibus noſtris concipere opinionem; ſed nobis ipſis diffidentes omnem ponere ſpem in Divina miſericordia; atque infinitis JESU CHRISTI meritis, operarique ſalutem noſtram, juxta conſilium Apoſtoli, in metu & tremore. Explora tu, num in ſimili ſis diſpoſitione, & an non nimium tibi vel ſecreta præſumptione, vel complacentiâ in te ipſo, atque operibus blandiare.

III. *Conſidera* in hac ſalutis noſtræ incertitudine, in qua vivimus, aptiſſimum atque efficaciſſimum medium eſſe perſeverantiam impetrandi, felicemque finem obtinendi, ita ſe comparare, ut & dignè & frequen-

quenter ſuſcipiatur Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum; nam hoc eſt panis cœleſtis, in cujus fortitudine & virtute pergemus, donec montem Dei attingamus.

Alterum medium ad hunc finem utiliſſimum eſt, ſingulari devotione ferri in ſanctiſſimam Virginem Mariam Dei genitricem, committere ſeſe ejuſdem protectioni, invocare ipſius opem, ſingulis diebus aliquas ei preces offerre, & particulare præſtare obſequium; nam non fruſtra eam Eccleſia nominat Matrem miſericordiæ, & ſæpe per diem in officiis rogat, ut in hora mortis aſſiſtat nobis. Expende igitur, quomodo duo hæc deſideres media applicare, & ſimul gratias age, quod ea tibi donaverit. Pete gratiam iis bene utendi.

MEDITATIO PRO DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Cum turba multa convenirent, dixit per ſimilitudinem. Luc. 8. v. 4.

Exiit, qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum. v. 5.

I. CONſidera, quod gramen vel ſemen, de quo eſt ſermo in hac parabola ſecundùm explicationem ipſius CHRISTI ſit verbum Dei, ſive exterius, quod auditur à prædicatoribus, ſive quod in piis legitur libris; ſive interius, per quod Deus loquitur ad cor hominis, eidemque communicat diverſa lumina & inſpirationes, ut dignos faciat fructus vitâ æternâ.

Agnoſce admirabilem Divinæ bonitatis effectum, qui ipſemet dignatur loqui ad cor hominis, & qui-

dem ſæpe peccatoris. O Domine, *quid eſt homo, quod memor es ejus*? Pſ. 8

II. *Conſidera* terram, in quam Divinum hoc ſemen eſt ſeminatum, noſtram eſſe cum ſuis facultatibus animam: in unaquaque earum operatur Deus ſecundùm ejus conſtitutionem; in memoria ſanctas ſeminat cogitationes & collatorum reminiſcentias beneficiorum, & peccatorum admiſſorum; intellectui infundit lumen, ut perfectè concipiamus veritates fidei & magnitudinem myſteriorum, quæ noſtram operantur ſalutem. In voluntate firmat bona deſideria, ſanctos affectus & propoſita.

O quoties Divina hæc in animam tuam recepiſti ſemina; ſed quoties ea rejeciſti, aut in vanum accepiſti. Humilia te coram Deo propter præterita; & implora illius Bonitatis ſubſidium pro futuro.

III. *Conſidera* finem, ob quem Deus tam pretioſum ſemen ſeminat in anima, non quod ulla hoc ratione eidem adferat utilitatem, velut ſeminantibus agricolis; ſed ut in commodum ipſius animæ redundet. Omninò Divinum hoc ſemen gratiæ habet in ſe virtutem immutandi, & perfectam reddendi tuæ terram animæ, & ex ſterili atque infructuoſa; facit fœcundam & omninò fertilem virtutum.

Agnoſce, quantum Divinæ ſis bonitati obligatus; æſtima plurimi gratias tibi communicatas, verumque concipe deſiderium conſervandi illas, & fertiles in corde reddendi, ne aliquando ob gratiam Dei in vanum receptam puniare.

MEDITATIO PRO DIE LUNÆ.

Aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt & volucres cæli comederunt illud. Luc. 8 v. 5.

I. C*Onſidera* adhuc, quod Divinum ſemen habeat tan-

tantam virtutem, & bonitatem ab illo, qui illud ſeminat in cordibus noſtris, ut germinare & fructificare poſſit; nihilominus evenit ſæpe, ut per malam recipientium diſpoſitionem nullum ferat fructum, adeò,ut juxta hanc parabolam ex quatuor ſeminis partibus tres ſine ullo perierint fructu.

Perpende nonnihil cauſas,ob quas cœleſte hoc ſemen maneat in anima tua inutile; unde eſt, quod tot piæ cogitationes,tot Sanctæ inſpirationes tam parum fructificent? Pete à Deo lumen, ut cognoſcas,atque emendes.

II. *Conſidera* primam ſementis partem, quæ manſit inutilis,fuiſſe,quæ cecidit ſecus viam,& pedibus conculcata fuit, & ab avibus abſumpta. Via hæc ſignificat eos, qui cor apertum gerunt affectionibus mundanis, atque animum implent vanitatibus, atque ſtultitiis mundi: Hæc eſt cauſa, quod verbum Dei nullum adferat fructum in illis, ſive ob diſtractiones continuas, quas ſentiunt; ſive ob dæmonum artificium,dum illius inducunt oblivionem, alias vanas & inutiles cogitationes ſuggerendo. O quam mundus hujuſmodi ſcatet perſonis! ô quot ſunt animi, qui velut via ſtant aperti, in publicum tranſitum ſine ullo obſtaculo. Vide,ne idem tibi eveniat.

III. *Conſidera*, ſi hunc in te defectum agnoſcas, ſine mora remedium adferendum. Et primò quidem oportet,ut te humilies coram Deo rogans præteritorum veniam, ut firmes aditus animi,ut reprimas vanam curioſitatem & levitatem,quæ te inſtigat, ut optes multa ſcire & nihil niſi fortè,quod malum eſt, retinere. Oportet igitur applicare vomerem mortificationis, ut præparetur terra ad recipiendam Divinam ſementem, quando illam placuerit Deo in te ſeminare. Oportet eam retinere,ruminare, guſtare, &

libare,velut inquit Propheta, oportet illud abſcondere in corde,ut producat fructus dignos vitâ æternâ. Concipe igitur firmum hæc præſtandi propoſitum, atque in hunc finem auxilium Spiritus S. implora.

Meditatio pro Die Martis.

Et aliud cecidit ſupra Petram : & natum aruit , quia non habebat humorem. Luc. 8. v. 6.

I. Conſidera, aliam quoque hujus ſementis partem periiſſe; quia cecidit in loca lapidibus, & rupibus plena: in quibus non habuit, niſi parum terræ in ſuperficie. Petroſa hæc terra eos ſignificat , qui ita teneri ſunt ex natura, ut facilè moveantur,quando audiunt verbum Dei aut legunt;attamen ob minimam occaſionem aut tentationem boni hi motus in ipſis emoriuntur faciliùs , quàm nati ſunt; quia non habent veram cordis devotionem atque pietatem,nec jaciunt radicem.

Cave,ne ita diſpoſitus ſis, nec te decipias ipſum: nam ſi pii motus non ſortiantur bonos effectus, argumento eſt,non eſſe te, niſi ſuperficietenus virtute præditum , neque virtutem ullam in corde tuo poſuiſſe radicem.

II. *Conſidera*, dici in hac parabola ſolem per ardorem ſuum areſeciſſe hanc ſementem, ut indicetur illos,qui ſolidâ deſtituuntur virtute,amittere pios affectus ingruente incommoditate, adverſitate vel afflictione. Namque dum cuncta ex voto fluunt,temporalia bene ſuccedunt,conſolationes adſunt, exercitia pietatis feliciter peraguntur,plurimùm afficiũtur ſervitio Divino: ſed his abſentibus, quando Deus immit-

mittit morbum, calamitatem, aut aliam corporalem adverſitatem aut ſpiritualem; quando invadit eos tentatio, contradictio, aut perſecutio, abjiciunt animos, recedunt à piis affectibus, & paſſionum motibus ſe concutiendos committunt.

Roga Deum, ut ſolidam tibi donet virtutem, & propone ita fideliter cooperari gratiæ, ut cum Apoſtolo dicere queas, *quis nos ſeparabit à charitate CHRISTI, tribulatio? anguſtia? an perſecutio?* Rom. 8. v. 35.

III. *Conſidera*, medium corrigendi defectum veræ & ſolidæ pietatis ac devotionis, quæ eſt velut humidum radicale vitæ ſpiritualis animæ, eſſe, ut quis mentem per orationem, & per meditationem attentam atque affectuoſam de veritatibus S. Evangelii & myſterii ſurſum de terra elevet; ita meditantis diu noctuque (velut Propheta Sanctus loquitur) in lege Domini cor tuum erit tanquam *lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum dabit in tempore ſuo, & folium ejus non defluet.* Pſalm. 1. v. 2. 3. 4.

Si igitur hactenus negligens, aut parum fueris addictus huic Sancto meditationis exercitio. Concipe hodie novum propoſitum, & deſiderium illud fideliter uſurpandi.

MEDITATIO PRO DIE MERCURII.

Aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocaverunt illud. Luc. 8. v. 7.

I. *Conſidera* ſpinas, quæ ſementem ſuffocant, ſignificare juxta Domini noſtri explicationem tria vitæ ſpiritualis impedimenta. 1. curam & ſolicitu-

citudinem nimiam aut ſuperfluam rerum temporalium. Hæ ſunt ſpinæ, quæ vehementer operationem gratiæ impediunt in anima; experientia hanc docet veritatem:propterea Dominus noſter admonet nos in Evangelio,ut excludamus omnes vanas curas & temporales ſolicitudines, atque eò tendamus; ut primò quæramus Regnum Dei, & juſtitiam ejus; reliqua paternæ illius providentiæ committamus, qui ſcit, quibus indigeamus,nec deſiſtet nobis proſpicere,modò fideliter ejus ſequamur voluntatem.

Vide, quo affectu hoc debeas admittere,& exercere Divini Domini tui monitum, & alterius meminiſſe dicti; *Quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, anima verò ſua detrimentum patiatur?* Matt. 16, v. 26.

II. *Conſidera*, ſimiles quoque ſpinas eſſe divitias, velut explicat Dominus noſter, quæ ingens objiciunt gratiæ obſtaculum, ſi iis noſter adhæreat affectus, ſi vel cor noſtrum ſit in divitiis, vel divitiæ ſint in corde. ô quàm *difficile eſt* (velut alibi loquitur Salvator) *divitem* (& qui in iis confidit) *intrare in Regnum cœlorum.* Matt. 19. v. 23. Perpende,quomodo huic debeas occurrere impedimento. Eſto abundes divitiis,aut iiſdem careas, præcide, aut potiùs avelle appetitum immodicum,ſtudium & affectionem à divitiis, quæ eſt radix omnium malorum. Conare, ut paupertatem tibi Spiritûs compares, quæ tibi Regnum dabit cœlorum.

III. *Conſidera* hujuſmodi quoque ſpinas, ſementem gratiæ ſuffocantes, atque ingens virtutibus cauſantes impedimentum,eſſe voluptates. Nemo hæc crederet, niſi ipſa aſſereret Veritas, quod ſenſuum blandimenta vulnerent animam, & ſæpe mortem inferant. Audi igitur CHRISTUM dicentem, *Si*

quis

quis vult poſt me venire , abneget ſemetipſum , & tollat crucem ſuam : Luc. 9. v. 23. Et juxta Apoſtolum, qui volunt eſſe JESU CHRISTI , *Carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Ad Gal. 5. v. 24. Roga Divinum hunc Salvatorem , ut animos vireſque ſufficiat,quò in eorum ſis Catalogo.

MEDITATIO PRO DIE JOVIS.

Aliud cecidit in terram bonam: & ortum fecit fructum centuplum. Luc. 8. v. 8.

I. CONſidera , terram bonam eſſe cor bene diſpoſitum,ad quod requiritur,non ſolùm eſſe vacuum impedimentis operationi gratiæ oppoſitis; ſed etiam , ut cooperetur eidem gratiæ, audiat cum attentione & affectu , dum Deus illi loquitur; retineat,& obſervet Divina hæc verba,imò & fructum afferat bonorum operum & virtutum cum patientia & perſeverantia, quibuſcumque difficultatibus, adverſitatibus, contradictionibus nequaquam obſtantibus.

Ecce,quid te oporteat facere, ſi velis verbi Divini ſemen in tuo fructificare corde. Roga Deum , ut tibi ex miſericordia & benignitate largiatur benedictionem,ut terra cordis tui ſuos referat fructus.

II. *Conſidera* inter conditiones magis neceſſarias, ut terra cordis tui ſuum reddat fructum, poni à Domino noſtro patientiam ; quia in virtutum exercitio quotidiè occurrit , quod patiare: èquidem, re probè examinatâ,hæc cauſa eſt, paucos eſſe in propoſitis fideles, quod deficiant animo quidquam patiendi , aut

repugnantiâ naturæ acerbiùs affligantur, cum gratiæ motus ſequendus eſt. Quamobrem opus eſt, ut firmum concipias propoſitum, illudque ſæpe renoves, nunquam te officio, quod Deo cognoſces acceptum, ſola difficultatis formidine defuturum; quin potiùs te majoribus illud animis ſuſcepturum, ut deſiderium, quod habes placendi Deo, conteſteris, atque aliquod tui amoris ac fidelitatis producas argumentum.

III. *Conſidera* terras non fructificare æqualiter; ita ſunt animæ bene diſpoſitæ, quæ referant fructum gratiæ acceptæ maximum, aliæ minorem, aliæ minimum; atqui Dominus ait, cui multum datum eſt, multum poſcendum ab eo.

Perpende igitur, quantum acceperis, & agnoſcas, quantum debeas reddere. Revoca in memoriam omnes gratias ſingulares ab optimo Deo in te collatas; ut hinc exciteris ad producendos fructus, id eſt, bona opera, actuſque virtutum, ut aliquo reſpondeant modo, abundantiæ roris cœleſtis & ſementi, quam tuo Deus cordi inſevit.

Meditatio Pro Die Veneris.

Vobis datum eſt, noſſe myſterium Regni Dei, cæteris autem in parabolis. Luc. 8. v. 10.

I. *Conſidera*, hæc verba Domini noſtri præbere anſam recordandi miſericordiarum, favorum, & gratiarum particularium ab ejus bonitate acceptarum, præ multis aliorum, quibus eas non contulit. Quot

Quot credis eſſe pauperes infideles, imò & Chriſtianos in diverſis mundi partibus, qui ſeſe felices æſtimarent, ſi haberent micas, quæ cadunt de menſa tua? ſive lumina, bonas cogitationes ſubſidia ſpiritualia, aliaque ſalutis & ſanctificationis media interna, & externa, quæ Deus tibi continuò offert, ex quibus tu, ut plurimùm nullum capis fructum? Et quid tu Deo præſtitiſti ampliùs, quàm ii, qui hiſce ſunt deſtituti?

II. *Conſidera*, è contra tuam erga Deum ingratitudinem & infidelitatem, quot eum modis tu à primo rationis uſu dehonoraſti. Eſtne unica vitæ tuæ dies, quâ eum non offendiſti?

Agnoſce igitur exceſſum bonitatis erga te, & miſericordiæ Divinæ, qui tantum abeſt, ut te puniverit, & dereliquerit, ut etiam beneficia in te ſua continuaverit. Cum à te offenſas reciperet, ipſe te ſuis gratiis & favoribus planè ſingularibus omninò indignum prævenit. Perpende, quid in illius obſequium & amorem velis præſtare.

III. *Conſidera*, ut te verè gratum præbeas pro receptis gratiis & favoribus ſpecialibus, non ſufficere, ſi ea præſtes, ad quæ communiter omnes tenentur. Illa ſingularis bonitas & miſericordia erga te, expoſcit cognitionem, affectionem, fidelitatem tuam erga Deum omninò ſpecialem. Non debes te æſtimare eſſe tui ipſiuſmet, ſed ſolius Dei; tuis titulis, quot gratias atque beneficia ab ipſius bonitate fuiſti conſecutus.

Roga igitur, ut novam hanc cæteris omnibus adjungat gratiam, ut omnia tua opera, verba, cogitationes ſolùm ipſius impendantur obſequio; neque vivas, niſi, ut eidem placeas, eum adames atque glorifices.

ME-

Meditatio pro die Sabbathi.

Hæc locutus ſum vobis, ut in me pacem habeatis. Joan. 16. v. 33.

I. *Conſidera* omnem doctrinam, parabolas, exhortationes, promiſſa, minas & alia CHRISTI verba in Sancto contenta Evangelio eò tendere, ut pacem habeamus, in ipſo. Hic primarius eſt fructus, quem vult, ut ex ejus doctrina & principiis colligamus: & hanc pacem dat guſtandam in hac vita fidelibus, ceu prægustum pacis æternæ, quam iiſdem præparavit in cœlis.

Quære, quantum voles, adhibe omnes machinationes Sapientiæ, & induſtriæ humanæ, nunquam veram comperies pacem & ſecuram cordis quietem, niſi fideliter te ſubmittas doctrinæ & principiis CHRISTI.

II. *Conſidera*, Divinum hunc Salvatorem declarare, quam pacem promittit, in ſe ſolo reperiri, non in divitiarum & commoditatum abundantia, non in mundanis honoribus, non in ſenſuum voluptatibus, nec in amicorum converſatione, nec in ſcientiis: ſed veram animæ tuæ pacem in ſolo CHRISTO JESU comperiri. *Venite ad me*, ait Divinus hic Salvator, Matt. 11. v. 28. *qui laboratis, & onerati eſtis, & Ego reficiam vos.* & Matt. 11. v. 29. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris.* Deus eſt, qui pacem offert, qui te invitat ad ſe, ut in ſinu amoris ſui atque bonitatis conquieſcas. Vide, an hæc reſpuenda aut negligenda ſit gratia?

III. *Con-*

III. *Conſidera*, unum ex mediis deſideratam hanc pacem poſſidendi eſſe, & intimè ſe ſubmittere, & perfectè facultates animæ ſuæ unire cum CHRISTO, replendo memoriam Divinis ſuis verbis, intellectu frequenter attentè & devotè meditando, voluntate amando, & fideliter gratiæ motibus cooperando, atque hoc medio ad eundem cum illo Spiritum perveniendo.

Verum eſt, ad obtinendam hanc pacem pugnâ in te ipſum opus eſſe, mortificando paſſiones, & ſenſus, eos perfectè Deo ſubjiciendo: opus eſſe pugnâ in mundum, qui hanc volet pacem invertere, & turbare. Sed mactè, CHRISTUS vicit mundum, & ſi fidelis eidem fueris, & tu ipſius virtute eundem ſuperabis, atque, ut magis victoriæ ſis ſecurus, confuge ad interceſſionem ſanctiſſimæ Matris hujus Divini Salvatoris, ut illa novum tibi gratiæ ſubſidium impetret, quod te corroboret, faciatque, ut uſque in finem in fidelitate debita perſeveres.

MEDITATIO PRO DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

Aſſumpſit autem IESVS duodecim, & ait illis: Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis. Luc. 18. v. 31.

I. CONſidera* Eccleſiam, & hâc Dominicâ, & duabus ſequentibus diebus ſignum Crucis CHRISTI JESU ſurrigere, atque memoriam

poſitione, oportere, ut aliquod impendas tempus conſiderando, ac meditando hoc myſterium; oportet, ut magnum concipias dolorem, plurimos Chriſtianorum tam parum affici, & gratias agere Deo pro ſe patienti ac morienti; oportet, ut ſtudeas te Divino huic Salvatori conformem reddere, ad minimũ in re parva; porteſque aliquod Paſſionis inſigne, ſive abſtinendo à vanis animi oblectationibus, & vacando operibus pietatis ſive aliquam ſuſcipiendo in honorem Paſſionis mortificationem: vel exercendo opus aliquod corporale aut ſpirituale Charitatis in proximum, in gratitudinem infiniti amoris, quem tua pro ſalute in Cruce moriendo fuit conteſtatus.

MEDITATIO PRO DIE LUNÆ.

Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur, & poſtquam flagellaverint, occident eum. Luc 18 v. 32. & 33.

I. CONſidera CHRISTUM Dominum frequenter fuiſſe, cum diſcipulis de ſua locutum Paſſione, morteque, ut declararet ſe continuò utriuſque recentem habere memoriam, etiam diebus vitæ jucundioribus, atque in ipſo gaudio & gloria ſuæ transfigurationis: Ut ipſius diſcas exemplo hoc nunquam myſterium delere ex memoria, ſed ſæpius meditari, præſertim recreationum diebus, quibus mundus copioſiorem ſuarum vanitatum inſtruit apparatum, teque ad ſua delibanda gaudia, atque capienda oblectamenta invitat. Tum enimverò

elucet occaſio verum in CHRISTUM amorem oſtendendi, recordando illius,& conſiderando, quæ pro tui dilectione voluerit tolerare.

II. *Conſidera*, Dominum noſtrum loqui de ſua Paſſione non solùm in genere; ſed etiam in particulari proponere diverſa ſuſpiria, & dolores in corpore toleranda,in anima,in honore, in vita à Judæis & Gentilibus: ut te doceret non ſufficere,ut conſideres in communi hoc myſterium; ſed, ut inde fructum carpas, neceſſum eſt,ut perpendas & mediteris cum omnibus in particulari circumſtantiis, quò clariùs agnoſcas charitatem JESU CHRISTI, qui prævidit, & libenter acceptavit unumquodque ſupplicium & ærumnam in particulari, ut offerret Deo Patri ſatisfactionem ampliſſimam pro peccatis totius mundi,& tuis in particulari, tibique copioſiſſimam procuraret redemptionem. Agnoſce, quantopere huic charitatis exceſſui Filii Dei,quem teſtatus eſt, ſis obligatus, ſecundùm Apoſtolum, cogita, & memento illius,qui tanta voluit tolerare pro te.

III. *Conſidera*, unum de præcipuis gratiarum actionibus eſſe, quod ab hominibus Salvator deſiderat,ut recordentur dolorum ab ipſo toleratorum pro eorum ſalute. Propterea inſtituit ſanctiſſimum Miſſæ Sacrificium tanquam memoriale Sacrificii crucis, ut Chriſtiani videntes illud quotidiè in Altari per manus Sacerdotis, velut amoris victimam offerre,renovent, memoriam exceſsûs illius charitatis, quæ illũ victimam mortis poſuit in Altari Sanctæ Crucis pro eorum redemptione.

Imaginare igitur, optimum Salvatorem iis te verbis alloqui, quæ olim inſpiravit Prophetæ,in hunc ſenſum recordare, anima Chriſtiana, *paupertatis & transgreſſionis meæ,abſinthii & fellis*, Jer.Thre. c.2.v.19.

cujus

cujus amarorem guſtavi,ut te liberarem à morte,procuraremque vitam, ac gaudium ſempiternum. Quæ reſpondebis ad hæc verba, niſi illa,quæ Propheta ſubjungit, v. 20. omnino Domine, *memoriâ memor ero*, atque adeò animæ meæ memoriam mortis tuæ , & Paſſionis inſculpam,ut totam penetret; atque hic affectus exſiccabit,& auferet guſtum voluptatum, atque oblectamentorum hujus mundi.

Meditatio Pro Die Martis.

Et ipſi nihil horum intellexerunt, & erat verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur. Luc. 18. v. 34.

I. Conſidera, paucos eſſe hodie in mundo, qui attentionem præſtent: ut intelligant loquentem de Paſſione CHRISTUM, & ex illis, qui auribus corporis audiunt, paucos eſſe, qui concipiant animo magnitudinem, & ſanctitatem hujus myſterii: cum prædicatur CHRISTUS crucifixus, verbum eſt abſconditum, veritas mundo incognita, ſcandalum Judæis, ſtultitia gentibus & impiis; ſed animæ ſublimi præcipuum eſt opus ſapientiæ & potentiæ Divinæ.

Roga Divinum hunc Salvatorem, ut ſuâ te gratiâ illuminet,ut hodiernâ poſſis die comprehendere,quæ ſit latitudo, altitudo,& profunditas exceſſivæ hujus charitatis,quam oſtendit in cruce.

II. *Conſidera*, quid cauſæ ſit , cur tam pauci benè hoc Paſſionis CHRISTI myſterium intelligant. Eſt autem hæc,tum quod pauci compatiantur patienti & morienti Divino huic Domino;tum quod nolint ca-

licem ipſius guſtare; illi, qui conantur aliquem habere amorem, optarent quidem, velut unus Apoſtatarum ait, eum tantos non ſuſtinuiſſe dolores & ſupplicia ; Sed nec illi quidquam volunt pro eo tolerare.

Cave, in illorum ſis albo, & ſi deſideras benè intelligere, & comprehendere myſterium Paſſionis JESU CHRISTI, diſce lectionem priùs à Divino hoc Magiſtro, quam ille omnibus propoſuit fidelibus. *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Matt. 16. v. 24.

III. *Conſidera* inſuper memoriam Paſſionis & mortis JESU CHRISTI eſſe nonnihil amaram guſtui naturæ; illud nihilominus veriſſimum, animam fidelem reperire in eadem dulcedinem & conſolationem inexplicabilem, dum exceſſum miſericordiæ Dei in ſe & charitatis conſiderat, qui præcipuè in hoc elucet myſterio: dum cogitat illum, *qui proprio Filio ſuo pepercit*, velut inquit Apoſtolus, Rom. 8. v. 32. *ſed pro nobis omnibus tradidit illum*, non eſſe negaturum gratias & neceſſaria ſalutis auxilia; dum revocat in mentem per efficaciam Sacratiſſimæ hujus mortis gratiam adoptionis Filiorum Dei donatam, Filium Dei ſuum eſſe fratrem factum, cœlum eſſe hæreditatem, & poſſeſſionem partemque ſuam eſſe ipſum Deum.

Meditare benè hanc veritatem, exerce actum fidei de unoquoque, & redde authori horum omnium bonorum gratias, laudes, & debitum amorem.

* * *

ME-

MEDITATIONES PRO FESTIS SANCTORUM AB ADVENTU USQUE AD DIEM MERCURII CINERUM.

MEDITATIO PRO FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI, 30. NOVEMBRIS.

Ambulans IESVS juxta mare Galileæ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus mittentes rete in mare (erant enim piſcatores) & ait illis: venite poſt me. Matt. 4. v. 18. 19.

I. *COnſidera* bonitatem Domini noſtri, quam oſtendit S. Andreæ, vocando eum ad Apoſtolatum. Etenim cum hæc in eum gratia collata, vir Sanctus de CHRISTI ſequela ne cogitabat quidem; tota ipſius intentio ferebatur in rete ſuum & piſcaturam, cum inopina Dei vox aures ipſius & magis cor ipſum penetravit.

O quàm conforme veritati eſt, velut Apoſtolus ait, *non eſſe volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei,* Ad Rom. 9. v. 16. cui obligati ſumus pro gratiis, quibus dignatur nos prævenire. Reflecte nonnihil te, quoties Deus per ſanctas inſpirationes internas te vocarit, quot tibi dederit affectiones pias & bonas cogitationes, cum minimè illius recordarere. Quantas igitur eidem debes pro hac bonitate reddere gratias?

II. *Conſidera*, quàm promptè obedierit vocanti CHRISTO S. Andreas; nam ſimul atque vocem vocantis percepit, dereliquit retia, navem, & quidquid habendi habebat ſpem, ut CHRISTUM ſequeretur, eidemq; ſe ſacraret, nunquam deſerturus; ſed ſemper adhæſurus. Et ſanè quamprimum Dominus cœlum conſcendit, ingenti zelo toto incubuit pectore in

Evangelii prædicationem; cumque vitam obſequiis tam boni Magiſtri impendit, glorioſo martyrio finivit; & velut ſemper ſtuduit CHRISTI virtutes imitari, ita felicem ſe exiſtimavit, parem eſſe in morte, dum in cruce ſuam ei vitam ſacrificavit.

Ecce, quàm fideliter S. Andreas reſponderit vocationi Divinæ, & tu, quomodo gratiis à Dei miſericordiâ acceptis reſpondiſti? quantâ negligentiâ, atque ignaviâ? quoties eas reſpuiſti, & S. Spiritui reſtitiſti?

Confundere propterea, & dole, fac propoſitum ſtudioſiùs deinceps voci Divinæ obtemperandi.

III *Conſidera*, relatum à S. Andrea prœmium, pro omnibus, quæ fecit pro Deo, tulitque. In hac vita Deus ei largitus eſt continuum gratiæ incrementum, benedictionem in laboribus, atque intentionibus, cõſervavit in ſuo miniſterio pro converſione infinitarum animarum, quæ ſuam poſt Deum ipſi ſalutem debent, contulit donum miraculorum, tempore vitæ ſingulariter protexit, poſt mortem ad ſummum gloriæ gradum evexit, thronum deſtinavit, in quo unus Aſſeſſorum erit in Supremo totius mundi judicio.

Lauda, benedic, & gratias age Deo pro omnibus gratiis & favoribus, quibus magnum hunc Sanctum eſt proſecutus. Offer te Divinæ Majeſtati, teq; deinceps majore quàm hactenus, fervore ac zelo illius applica obſequio, & roga S. Andream, ut te ſuâ apud Deum adjuvet interceſſione.

MEDITATIO PRO FESTO S. NICOLAI 6. DECEMBRIS.

Homo peregrè proficiſcens vocavit ſervos ſuos, & tradidit bona ſua, & uni dedit quinque talenta, alii autem duo. Matt. 25. v. 14.

I. *Conſidera*, S. Nicolaum fuiſſe fidelem hunc ſervum,

vum, qui accepit quinque à Domino ſuo talenta, & lucratus eſt alia quinque. Hoc eſt dicere, accepiſſe illum multas à Deo gratias, quibus fideliter cooperatus,reddidit plurimarum fructus virtutum.

O quàm paucos modò Deus invenit hujuſmodi ſervos, qui lucrum faciant debitum ſuis talentis, & gratiis oblatis. O quot ſunt,qui negligant,qui diſſipent,imò, qui contra Divinum hunc benefactorem,à cujus manû ea acceperunt, abutantur. Cave, ne in eorum ſis cohorte.

II. *Conſidera*, S. Nicolaum incepiſſe maturè lucrari ſuis à Deo acceptis gratiis: Dum ſeſe in tenera ætate dedit precibus,jejuniis,aliarumque Chriſtianarum virtutum exercitiis.

O quàm *bonum eſt viro; portare jugum* (Domini) *ab adoleſcentia ſua*! Thren. 3. v. 27. & quando tu incepiſti Divino te addicere obſequio?

Non habes, cur dicas cum magno illo Sancto! ô quàm ſerò amavi te, ô bonitas infinitè amabilis? verùm,poteſne cum veritate affirmare,incepiſſe te amare Deum? ſi nequeas, dic minimùm cum Propheta: *Dixi,nunc cœpi,* Pſal. 76. v. 11. totus eſſe Dei, eumque ex toto corde amare.

III. *Conſidera* S. Nicolaum non ſolùm benè cepiſſe; ſed etiam continuaſſe & totâ perſeveraſſe vitâ, in virtutum præſertim charitatis & humilitatis uſû. Charitas apparuit in hoc,quod omnia bona ſua in Eleëmoſynas diſtribuerit præſertim illis, quibus tam quoad corpus,quàm etiam animam erant neceſſaria. Quod ad humilitatem ſpectat, illam exercuit, ſuas Eleëmoſynas aliaque bona,opera ab oculis hominum abſcondendo,fugiendo æſtimationem mundi, gaudendo ſe incognitum & contentum latere.

Sed Deus, cui placuit exaltare humiles in hac vita, fecit, ut excelſum obtineret in ſua Eccleſia dignitatis gradum, atq; poſt mortẽ ingenti miraculorũ numero glorioſum reddidit in terra, & in cœlo ſublimis gloriæ gradûs poſſeſſione.

Statue imitari charitatem, & humilitatem magni hujus Sancti, & præſtare aliquid ſingulare in illius honorem.

MEDITATIO PRO FESTO IMMACULATÆ CONCEPTIONIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ.

Conceptio, tua Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit univerſo mundo: ex te enim ortus eſt Sol juſtitiæ CHRISTVS Deus noſter.

I. CONſidera unam ex rationibus eſſe, cur cum devotione & gaudio Spirituali debeas celebrare Feſtum Immaculatæ Conceptionis ſanctiſſimæ Virginis, quoniam hâc die ſtructura Sanctiſſimæ illius domûs cepit, quam Deus elegit, ut ibidem in hoc mundo moraretur: Domus extructa, & parata in ſummitate & ſublimitate montis perfectionis, quam ornavit, & gratiæ ſuæ donis locupletavit.

Concipe igitur, mentem planè contrariam S. illi Patriarchæ deploranti calamitatem & infelicitatem originis ſuæ, qui maledixit diei, quâ conceptus fuit. Job. 3. v. 3. Sed tu contra dicito: benedicta ſit dies, in qua hæc puriſſima & ſanctiſſima creatura concepta fuit. Dies illa inter fauſtiſſimos numeretur dies.

Omnes propterea cœlorum Spiritus decantent laudes, & Filii Eccleſiæ jungant affectus, & Sanctum hunc celebrent diem tantâ pietate, ut digni fiant, qui parti-

participent favorum influxus, atque abundantiam gratiarum recipiant, & benedictionum.

II. *Conſidera*, quantos ſanctiſſima Virgo hâc die favores receperit. Præſervata fuit à peccato originali; primo mox vitæ ſuæ inſtanti confirmata fuit in gratia; exempta fuit ab omni peccato mortali & veniali, elevata fuit ad ſupremum perfectionis gradum, exornata fuit omnis generis virtutibus, cumulata donis tam admirabilibus, ut Angeli creaturam adeò perfectam cum admiratione aſpexerint, quæ exiret omni innocentiæ & Sanctitatis candore conſpicua ex mediis peccatorum tenebris, terram coöperientibus, jure exclamantes, *quæ eſt iſta, quæ aſcendit, velut aurora conſurgens?* Cant. 2. v. 9.

Lauda, & benedic Deo ob favores puriſſimæ Virgini præſtitos: humilia te, memor illius deplorabilis ſtatûs, in quo tu conceptus es Quis eras eo momento, niſi filius iræ & maledictionis, totus coopertus, atque infectus horribili originalis peccati lepra? Verum ab eo tempore, quot alia peccata huic primo adjunxiſti? Et quid eſſes, niſi Chriſtus te ſanguine ſuo cùm per baptiſma, tum alia Sacramenta mundaſſet?

III. *Conſidera*, Deum tot voluiſſe gratiis ſanctiſſimam hanc Virginem exornare, non ſolùm, ut eam diſponeret, dignamque redderet filio ſuo Matrem; ſed etiam, ut nobis eam in Reginam & Matrem miſericordiæ donaret. Quocirca eam quibuſcunque virtutibus, & præſertim incomparabili erga miſeros peccatores charitate dotavit.

Age igitur miſericordiarum Patri gratias, & Deo totius conſolationis, quod hodiè tam bonam tibi Matrem dederit. Venerare eam honorandi, amandi, & ſingulis vitæ diebus ſerviendi deſiderio.

MEDITATIO PRO FESTO S. THOMÆ APOSTOLI. 21. DECEMBRIS.

Thomas unus ex duodecim non erat cum eis, quando venit IESVS. Joan. 20. v. 24.

I. C*Onſidera* admirabilem CHRISTI bonitatem, quâ S. Thomam eſt proſecutus, ut eum lucraretur, atque ex incredulo magnum faceret Apoſtolum & clariſſimum Eccleſiæ ſuæ lumen. Solus ille atque unus Apoſtolorum omnium in ſua hærebat incredulitate. Octo jam dies à Reſurrectione CHRISTI effluxerunt, Thomâ in ſua incredulitate pertinaciter hærente: venit tandem bonus hic Paſtor, aberrantem hanc pauperem oviculam quæſiturus, & ſine reprehenſione, divinâ aliquâ dulcedine prehendit ipſius manum, atque Sanctis vulneribus admovit, itaque eidem locutus eſt, ut ſanctus Thomas exceſſum miſericordiæ, & charitatis admiratus, projectus ad pedes, Profeſſionem fidei fecerit, agnoſcens eum pro Domino ſuo.

Lauda, & benedic Divino huic Salvatori, ob bonitatem & miſericordiam huic S. Apoſtolo exhibitam. Recordare omnium illorum, quæ tibi oſtendit Deus, & exclama cum Sapientia: O Domine, quàm dulcis eſt Spiritus tuus.

II. *Conſidera*, quomodo ſe S. Thomas geſſerit, poſtquam vidit tantam in ſe CHRISTI charitatem. Nullum eſt dubium, quin quoties memor illius fuit, toties intimè commotus animo, effuderit ſeſe in gratiarum actionem, atque amoris affectus; oculis ob dolorem de incredulitate præterita in lacrymas effuſis. Sed in iis ſolùm affectibus ſemet nequaquam detinuit. Progreſſus eſt ad opus, atque inflammatus er-

gatam bonum Magiſtrum amore, nullis limitibus, quæ ſtatuit reddere obſequia, circumſcripſit. Univerſa terra ipſi parva videbatur, cujus maximam partem peragravit prædicans in infinitis locis Evangelium, atque ut teſtaretur Chriſto amorem & fidelitatem, vitam cum ſanguine pro illius honore gloriâque profudit.

Lauda Divinum hunc Salvatorem, ob gratias & favores huic Sancto Apoſtolo tributos; confundere, quod tam exiguum, & quidem adeò malè ipſi præſtes in obſequium. Roga S. Apoſtolum, ut tibi ſcintillam de igne amoris, quo cor ipſius arſit, communicet.

III. *Conſidera*, inter reliquas S. Thomæ virtutes peculiaritrer eminuiſſe fidem. Hæc eum concitavit, ut tam magna molitus ſit in obſequium, & gloriam Dei, expertus eſt veritatem illius CHRISTI, *omnia poſſibilia ſunt credenti.* Marc. 9. v. 37. Quod, ſi tibi exiguus ſit animus, ſi pauca præſtes pro ſervitio Divino, inde eſt, quod & parvam omnino habeas fidem, & ea, ut plurimùm in te otioſa ſit, atque ſine fructu.

Roga igitur per interceſſionem magni hujus Sancti virtutis illius incrementum, & ſtatue ſæpe actus illius exercere, atque juxta Spiritum illius & vivere, & operari.

MEDITATIO PRO FESTO S. GENOVEVÆ. 30. JANUARII.

Prudentes acceperunt oleum in vaſis cum lampadibus. Matt. 25. v. 4.

I. CONſidera S. Genovevam fuiſſe Virginem prudentem, quàm optimè præparatam, ut cœleſti iret obviam Sponſo. Quam præparationem primis vitæ annis inchoavit, dum ſemet Deo

voto

voto Virginitatis devovit, totamq; ſe pietati ac virtutum exercitiis tradidit.

Perpende, quàm jucundum fuerit Angelis Spectaculum videre hanc in tenerrima ætate Sanctam, dum rure armenta Patris paſceret, ſingulis levantem horis oculos in cœlum, atque Deo innocentes ſuas preces miro fervore ac devotione offerentem.

O quanta dicitur veritate, Deum non eſſe acceptorem perſonarum: non attendit ille ad qualitates exteriores; ſed ſolùm ad rectitudinem & innocentiam cordis. Hujus internæ diſpoſitionis ſtudioſus eſto. Roga Deum, ut tibi donet cor innocens & Spiritum rectum.

II. *Conſidera* ſanctam Genovevam tempore vitæ, abundè ſibi proſpexiſſe de pretioſo gratiæ oleo, omni ex parte ſeſe applicando, & dedicando obſequio Divino, bonorumque operum praxi, præſertim charitatis in proximum, ita ut Evangelicam ſectaretur paupertatem, neque alicujus haberet rei poſſeſſionem; nihilominus Matrem ſe præbuit, nutricem pauperum urbis Pariſienſis, durante ingentis famis tempore: poſtea verò magno compaſſionis ſenſu videns populi oppreſſiones & miſerias, quas per belli infortunia patiebatur, eâdem charitate excitata, tanto preces fervore obtulit Deo, ut ingentem externorum exercitum, qui adveniebat urbem direpturus, fugârit.

Imitare felicem hanc Sanctam in omnibus quidem virtutibus, ſed cumprimis in charitate erga pauperes; fac illis bene pro virili, ex amore JESU CHRISTI, cujus ſunt membra, & cum ſuccurrere nequibis, quære pro eis opem: quam ſi creaturæ renuunt, recurre ad Supremum Creatorem per preces pro conſtitutis in neceſſitate, quando aliter adjuvare non poteris.

III. *Conſidera*, miros virtutis & Sanctitatis hujus per-

perſonæ in hac vita effectus. Non erat niſi de pago egena proles, quam nativitas & conditio abjectam reddebat, & mundo contemptibilem. Et tamen, quia in hac ſua vilitate fidelem ſe præbuit Deo, ſtudens conſtanter eidem placere, atque ex toto eum corde amare; Pater miſericordiarum voluit parvam hanc famulam etiam coram oculis mundi exaltare. Fecit, ut æſtimaretur à Regibus & Principibus terræ; adhibuit in teſtes magnarum illius virtutum, plures hujus temporis Sanctas Perſonas, & à morte plura in favorem eorum operatus eſt miracula, qui interceſſionem Virginis deſideravêre.

Perpende, quot Illuſtriſſimæ fœminæ, & Principes eo fuerint tempore in mundo, quarum omnino periit memoria; & ecce inopis pagi filiæ Sanctitas poſt ſæcula eſt in Veneratione, eritque uſque in mundi finem, totamque æternitatem.

Fac novum ergo hodie propoſitum contemnendi vanitates hujus mundi, nihilque aliud intendendi, quàm placere Deo, eidemque debitum honorem, ſervitium, atque amorem exhibendi.

MEDITATIO PRO FESTO PURIFICATIONIS Ss. VIRGINIS. 2. FEBRUARII.

Poſtquam impleti ſunt dies purgationis ejus, tulerunt illum in Ieruſalem, ut ſiſterent eum Domino. Luc. 2. v. 22.

I. *Conſidera* eximias virtutes, quas hodiè oſtendit Sanctiſſima Virgo, imprimis verò perfectiſſimam obedientiam, ſubmittens ſe legi, quâ non tenebatur, atque exactè complens, quod illa mandabat, Deo placendi ſtudio, cui hanc ſciebat obedientiam longè fore gratiſſimam.

Con-

Confundere,dum vides te,ne quidem ea præſtare, ad quæ obligaris,vel,ſi præſtas,tantâ hoc fieri inertiâ, tepore,imperfectione, ut ferme tantumdem ſit, ac ſi omitteres. Roga Virginem hanc Sanctam, ut Spiritum tibi impetret docilem, atque voluntatibus Divinis per omnia obedientem.

II. *Conſidera* aliam virtutem, quæ in Sanctiſſima hâc Virgine eluxit, ſcilicet profundiſſimam humilitatem. Erat Angelis purior, maximèque ſuam amabat virginitatem;attamen habita fuit haud aliter:ac ſi ſordes mulieribus communes contraxiſſet:erat innocentiſſima & ſanctiſſima;attamen ſiſtit ſeſe Sacerdoti, ut pro ſe preces funderet, & pro ſua obligatione tollenda Sacrificium propitiationis offerret.Ita ſemet humiliavit, ut Deus glorificaretur,& ipſa proteſtaretur,à ſua ſolùm gratia ac miſericordia profluere ſuam innocentiam atque puritatem.

Et tu, qui tot animam ſordibus deturpâſti,atque ob tot peccata obligatus ei Divinæ juſtitiæ,quo te modo humilias? quem putas temetipſum,cum Deo te præſentas?

III. *Conſidera* tertiam in hac ſanctiſſima Virgine virtutem,quæ eſt devotio interior, & modeſtia exterior,quæ actibus religionis conjunxit: Vide ſis,quantâ ſubeat reverentiâ templum, Divinum brachiis infantem complexa; aſpice proſtratam in genua, oculis in terram demiſſis adorantem Deum,preceſque ſolventem.

Perpende, quantâ devotione & fervore dilectum æterno Patri Filium obtulerit unâ cum ſuo corde, cum ſua anima,cum ſua vita,omnibuſque, quæ erant in illa. Cogita nonnihil,quibus occupaverit animum rebus ceremoniarum tempore, quæ ſolebant huic Sacræ actioni adhiberi.

Eheu!

Eheu! quantum diſtas ab hac Virgine,cum in templum venis, Deum debito colendi ſtudio. Confundere, quàm exiguâ in conſpectu tantæ Majeſtatis reverentiâ compareas, quanto & tepore & mentis evagationibus preces perſolvas. Roga hanc miſericordiæ Matrem, ut veram tibi ſolidamque obtineat devotionem.

MEDITATIO PRO FESTO S. MATTHIÆ APOSTOLI. 24. FEBRUARII.

Cecidit ſors ſuper Matthiam, & annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis. Act. 1. c. 1. v. 26.

I. C*Onſidera*, diſcipulorum numerum fuiſſe diminutum per lapſum infelicis Judæ, cui Dominusvolens alium ſuccedere,inſpiravit S. Petro Eccleſiæ ſuæ capiti, ut cum aliis Apoſtolis ad electionem novi procederet. Obſtupeſce & contremiſce, cum cogitas de formidabili hoc lapſu Apoſtoli ab ipſo Deo electi, & tot gratiis cumulati Eheu! ſi cedri Libani ſternantur,quid non timeant debiles cannæ?

Diſce;ſi gratiæ Divinæ defueris, ſubſtituet alium, cui coronam donet præparatam,fideli futuro.

II. *Conſidera*, quomodo Apoſtoli congregati pro hac electione elegerint duos Barnabam cognomento juſtum per excellentiam,ob eminentem ſuam Sanctitatem,& Matthiam, cumq; dediſſent ſe in preces, rogaturi Deum, uter placeret, ſors cecidit ſuper Matthiam,Deo ſignum externum dante,quem ex duobus inlocum Judæ elegiſſet.

Diſce, venerari Divina judicia, iiſque tuum ſubmittere, licet neſcias ea comprehendere. Barnabas vide-

videbatur præferendus ob eminentem virtutem, & S. tamen Matthiam elegit Deus, quamquam parem non habuerit Sanctitatis famam.

Imitare S. Barnabam, qui poſtpoſitus Matthiæ nullam prætulit ægrimoniam, quin potiùs plurimùm gaviſus fuit æmulatione, quæ viget inter Sanctos, uter minorem occupet locum, uter minoris fiat, aut magis vilipendatur.

III. *Conſidera*, quì ſe S. Matthias geſſerit, in Apoſtolum electus. Primò non fuit animo elatus; ſed in ſui agnitione nihil; perſtititque in filiali timore, ne minus tantæ reſpondeat dignitati; tum fideliter ſuæ fuit vocationi cooperatus, & ſine mora applicuit manum operi, prædicando in diverſis terræ locis uſque in ipſam Æthiopiam Evangelium, ubi glorioſo martyrio finem laborum eſt conſecutus.

Lauda Deum, eidemque gratias age, pro favoribus S. huic Apoſtolo præſtitis. Roga per interceſſionem ipſius gratiam, vocationi tuæ reſpondendi. Propone denuò gratiis tibi donandis fideliter cooperari, atque magno in eadem cooperatione animo perſeverare.

Finis Primæ Partis.

MAG 300